5. 10. 444

Digitized by Google

Digitized by Google

SACRA AUTHORU RECENTIORUM

CRITICA

In Philoſophia, Chimia, & Medicina.

In qua ſexaginta, & ultra errores ſacris Dogmatibus diſſoni deteguntur, & confutantur; ac indè ſub regimine CAUSÆ PRIMÆ à veris deprompta principiis contra mentem Recentiorum Sacra Phiſica demoſtratur: ANATOMES, MEDICINA magnificè extolluntur, ejuſque omnes Detractores refelluntur: Novum SISTEMA de ſecretione Urinæ; DE GENERATIONE PLANTARUM; & de GENERATIONE HUMANA proponitur, OUVLIS ex teſtibus Mulierum, aliiſque quamplurimis abſurdis hodiernis rejectis.

OPUS IN TRES TRACTATUS DISTINCTUM

Medicis præcipuè, Philoſophis, & Theologis valdè utile.

AUTHORE

PETRO ANGELO PAPI MEDICO, & Philoſopho Sabinenſi.

Ad Eminentiſſimum, & Reverendiſſimum D. Principem

S. R. E. CARDINALEM AMPLISSIMUM

FRANCISCUM BARBERINUM.

Romæ, Typis Herculis. 1706. *Super. permiſſu.*

Digitized by Google

EMINENTISS. ET REVERENDISS. D. PRINCEPS CARDINALIS.

HIS noſtris temporibus multi Recentiores Philoſophi, Chimici, & Medici in proſcenium lictera-rii Theatri quamplures ſub velamine novarum doctrinarum clancularias hæreſes, erroneaſque Sententias protulere, quæ non modò ſtabili ratiocinii carent fundamento; ſed proh dolor! alienæ ſunt etiam à ſacris licteris, à Sanctis Patribus: Undè, viribus licet imparibus, ad vindicandam bonarum licterarum incolumitatem in hoc præſenti Opere totos virium nervos intendi, inflammatoque pecto-

Digitized by Google

re incumbui; quod licet perarduum videatur, faciliuſque eſſet typis dare Volumina longa longè, latèque diffuſa praxis, theoriæque Medicæ, quibus plerumque nihil continetur proprii, cum alienæ ſint omnia plumæ, ac uti frumentum ab alienis ſpicis excuſſum, de quo dubitari non poteſt, quin illius ſit frumentum, cujus & ſpicæ fuerint; nihilominus tendit ad ardua Virtus, ſi veritatis cauſam patrocinetur, ſuperatque invicta difficultatum ſcopulos, & ſyrtes.

At quemadmodum quælibet Cohors militaris ſuo, & ab aliis diſtincto gaudet vexillo, ac veluti ſingulæ Naves tam bellicæ, quam mercatoriæ præcipuis ſuis, iiſque illuſtribus ſuperbiunt ſignis, dum minacibus, ac dubiis Maris procellis committuntur; ita meum hoc Opus ſplendido Eminentiae Tuae Planetarum Regis ſigno inſignitum ad lucem comparere volui, ut ſplendor, ac dignitas tua periculoſas invidiæ ſyrtes depellat, atque Zoilos detractores Piratis non abſimiles rubore, ac terrore ſuffundat, longiſſimèque arceat.

Accipe igitur hilari animo, fronteque ſerena Celſiſſime Princeps, Eminentiss. D. conſecratum Nomini Tuo hoc Opus, quod licet

licet leve munuſculum, bonum tamen, ac magnum Oblatoris animum indigitat in publicum teſtimonium obſervantiæ ſuæ in Te, qui innata clementia operis levitatem compenſare non ignoras.

Fateor equidem, non modicam meam eſſe audaciam ſub auſpiciis Tui auguſtiſſimi nominis partum tenuis ingenii in lucem prodire, quod diu me tenuit ancipitem; ſed tandem audacem animum auxit Tua maxima benignitas erga ſubditos, inter quos ſum ipſe adnumeratus, necnon vivida ſpes inveniendi patrocinium apud EMINENTIAM TUAM, qui has meas lucubrationes authoritate tueretur, dignitate ornaret, probitatis odore cauſam meliorem faceret, virtutiſque nomine longiſſimè arceret maledicentes.

Quippè enim ſatis ubique Terrarum refulgent honorificentiæ Domus Tuæ, quarum ſcintillis hoc Opus ditatum magnam apud licterariam Rempublicam exiget exiſtimationem, dum ea, juxta Plinium, pretioſiora habentur, quæ Templis dicantur, ita etiam libri majori in pretio eſſe ſolent, in quorum fronte magnorum Virorum, quaſi Deorum nomina leguntur. Eo fortius quod non contentus Titulis, Præfecturis,

Lega-

Legationibus,eaque gloria, quæ ad Eminentiam Tuam præclariſſima à Majoribus vetuſtiſſima jam hæreditate pervenit, quam non ſuſtinere modo, ſed dignitatis nomen augere, & congeminare contendis, tum aſſidua rerum Eccleſiaſticarum tutela, ac ſtudio, cum etiam in degendo vitam integerrimam in omnium Virtutum genere; verùm etiam incomparabili merito ſemper ad majora aditum, viamque proſternis.

Ea igitur, qua par eſt, animi ſubmiſſione hoc opus qualecunque ſit, devoveo, ut benignitatis Tuæ vitali zephiro foveas, Apibuſque mellifluis Tui Stegmatis ſignis Detrahentium oribus dulcedinem oſtendas; quod ſi Tua fecerit humanitas, non parum præſidii, ac beneficii mihi comparaſſe exiſtimabo; indeque ſemper renaſcentes Tibi gratias agam, ac ſalutis Authorem Deum orabo, ut mens Tua tam ſana in corpore etiam ſano Neſtoreis habitet annis.

Addictiſſ. & humillimus Servus, & Subditus

Petrus Angelus Papi.

Index contentorum in noſtris Operibus diſtinctus in Præliminaribus, & Ordinatoriis.

IN PRÆLIMINARIBUS:

Præfatio, & excuſatio Auctoris ad Lectorem. pag. 1.

Elogium de præſtantia Medicinæ ad culmina dignitatum, & honorum exaltatæ, ac de ejuſdem Criticorum confutatione, & de conditionibus, quas bonus Medicus ex Hipocrate debeat habere. pag. 4. & ſeqq.

Anatomiæ nunquam taliter laudatæ aliud Elogium, in quo omnia ſublunaria, & ſcientias contineri, demonſtratur. pag. 27. & ſeqq.

Series tractatuum, in qua nonnulli Recentiorum Authorum claſſis Medicæ errores delibantur, Ariſtoteles commendatur, cæterorum Philoſophorum doctrina de hæreſi ſuſpecta demonſtratur, Eorumque audacia objurgatur. pag. 37.

Redivivi Galeni adverſus nova Sectæ Pediſſequos exclamatio, tam circa malam medendi methodum noviter introductam, quam circa Recentiorum phiſica principia, & inventa, quibus ejuſdem Sectam peſſumdare contendunt. pag. 50.

T R A C T A T U S I.

In Ordinatoriis.

Tractatus primus phiſicotheologicus de erroribus circa ſacram Geneſim per opera Recentiorum Philoſophorum, ac Medicorum diffuſis nunc primò detectis, ac pro deteſtatione in lucem editis.

De prima rerum creatione Procemium, & quatuor animadverſiones. pag. 64.

De erroribus Recentiorum circa ipſam rerum creationem. Scrut. I. pag. 70.

De rationibus perſuadentibus quatuor eſſe rerum omnium negata elementa ex Geneſi deſumpta ; & de ipſorum quinque animadverſionibus. Scrut. II. pag.74.

De aliis Novatorum abſurditatibus circa elementa , & humani corporis fabricæ compoſitionem . Scrutin. III. pag. 82.

De principiis Chimicis elementorum loco ſubrogatis ineptis, & inſubſiſtentibus ratiocinio experimentali rejectis, & confutatis. Scrut.IV. pag.86.

De meliori explicatione rerum naturalium magis per peripatetica , quam chimica principia in paragraphis diſtincta .

De Magnete . §. I. pag. 92.

De vi humorum purgativa . §. II. ibidem .

De Saporibus . §. III pag.94.

De ſoliditate rerum . §. IV. pag. 95.

De odoribus . §. V. pag. 96.

De *inflammabilitate igni, & non ſulphuri ex ſe componente .* §. VI. pag. 97.

De *ſingulis Chimicorum principiis exauthoratis una cum duobus erroribus in fine adnotatis , & confutatis .* §. VII. pag. 100.

De fermentatione decantata ex AlKali, & acido principiis Chimicis eluſiva, & mendaci,& de ejuſdem verioribus cauſis . §. VIII. pag. 109.

De multorum Chimicorum entuſiaſmate ridiculo , & hæreticali, ac in fine de confutatione ſpiritus Mundi, ſeu ſalis univerſalis. Scrut.V. pag. 116.

De Atomis, ſeu particulis , aliiſque abſurdis in hodierna phiſica renovatis principiis. Scrut.VI. pag. 126.

Confutantur magis expreſſè in hac materia nonnullorum Authorum recentium abſurdæ opiniones.§.IX.pag.131.

TRA-

De ſacra Philoſohpia, in qua temerariæ objurgantur opiniones illorum Philoſopherum, qui in rerum productione, & generatione, Cauſa Prima præpoienti neglecta, ad cauſas ſecundas perperam recurrant.

De duplici omnium rerum in genere principio. Scrut. I. pag. 138.

Oſtenditur primo, quod caſus fortuitus, & motus in materia à Recentioribus admiſſi non ſunt ſufficientes ad rerum productionem. §. I. pag. 141.

Oſtenditur eſſe quoque improbatas opiniones illorum, qui in rerum productione recurrunt ad naturam, ad formas, Animam Mundi, ſeu ſpiritum univerſalem. §. II. pag. 147.

Oſtenditur errare illos, qui ad Solem, ad Cælum, ad Aſtra recurrunt. §. III. pag. 151.

Oſtenditur error eorum, qui credunt, Chimica principia, ſeu atomos, & minimas particulas poſſe per ſe abſque mentione Cauſæ Primæ producere corpora entium naturalium. §. IV. pag. 152.

De *ſacra Philoſophia, in qua demonſtratur, Bonitatem Dei immutabilis eundem ſervare ordinem in præſenti rerum productione, quo uſus fuit in prima creatione.* Scrut.II. pag.156.

De Generatione uſque dum promota à Di*vina voluntate per ſeminum productionem.* §. V. pag.161.

De *Generatione plantarum novo, brevique modo explicata.* §. VI. pag. 165.

De Generatione animalium. §. VII. pag. 173.

De Generatione humana cum ſpecialiſſimo modo à Deo *promota juxta ſacras authoritates contra tot Novatores inferiùs recenſendos, qui pravis opinionibus illam contaminarunt.* §. VIII. pag. 174.

Refelluntur ſacrilegæ opiniones de humana generatione

Paracelſi, Arnoldi de Villanova, Conradi Pieri, Joannis Suuammerdami, & aliorum de Republica Recentiorum. §. IX. pag. 178.

Refelluntur aliæ erroneæ opiniones modernæ de motu quoad generationem. §. X. pag. 186.

D*emonſtratur breviter in comprobationem* §. VIII. *quo ad humanam generationem impotentia Animæ, ſpiritus Mundi, ſpiritus vitalis, ſeu plaſtici, janitoris uteri, aliarumque Recentiorum cauſarum, & in fine duo dubia difficillima diſſoluuntur.* §. XI. pag. 191.

Rejicitur tandem abſurda opinio de generatione humana ex Ouvlis muliebribus tantopere per Novatores celebrata, eorumque error oſtenditur per ſacras authoritates, & per viginti, & ultrà herculeas rationes, & ultimo novum generationis ſpecimen exhibetur. Scrut.III. pag. 197.

De novo Generationis humanæ ſpecimine cæteris probabiliori, & de abdita cauſa cur modo mares, modo fæminæ generentur. Scrut. IV. pag. 217

T R A C T A T U S III.

De Sacra Recentiorum Philoſophorum, & Medicorum Critica ſupra Anima ſenſitiva Brutorum, ſupra Anima rationali, ejuſdemque facultatibus, ac tandem ſuper humana Vita. pag.233.

De *Anima ſenſitiva Brutorum, & de Carteſianorum ipſam negantium errore contra ſacram Geneſim.* Scrut.I. pag.234.

De Anima rationali forma corporis humani Scrut. II. *In quo per paragraphos diſtinctos ſacris authoritatibus ducibus ſtatuemus, unicam eſſe animam rationalem in corpore ſine ſubalternatione animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, & inſimul facultates à Recentioribus deriſas, uti ab Anima promanantes defendemus, & multiplices*

plices modernos errores circa prædicta rationibus, & ſacris authoritatibus confutabimus, & primo.
De unitate Animæ rationalis in corpore, & confutatione Vuillis, Dolai, *& Etmuleri de Medicorum Recentiorum familia.* §. I. pag. 248.
De reintegratione facultatum ad poſſeſſionem corporis humani per Medicos Recentiores excluſas, & de erroribus, qui exinde ſequuntur cum atheiſticis, & hæreticalibus principiis congruentibus. §. II. pag. 250.
De facultate vitali pulſifica ex anima in corde, ac de ejuſdem motu unà cum reſponſione ad omnes in contrarium objectiones. §. III. pag. 260.
De facultate Animæ in renibus deſignata ſub munere expultricis, & attratricis, ac de novo, & probabiliori modo, quo ibi ſecernatur urina, opinione Recentiorum rejecta, & Microſcopii fallacia ex hac occaſione in pluribus detecta. §. IV. pag. 276.
D*e aliis nonnullis Dolai, Vuillis, Helmontii, & Carteſii confutatis erroribus circa animam, ejuſdemque facultates.* §. V. pag. 284.
D*e humana vita procedente ab Anima corpori unita* Scrut. ult. *contra Recentiores.*

CATALOGUS OMNIUM ERRORUM

Sacris Dogmatibus contrariorum in Authoribus Philoſophiæ, & Medicinæ recentibus inventorum, & adnotatorum juxtà ſuos locos, in quibus recenſentur, & primo de Erroribus in Præliminaribus ante Tractatum primum.

Error Donati Roſſetti in ſuo antignome phiſico mathematico de novem ſenſibus humani corporis, & de motu Terræ in ſerie tractatus in præliminaribus. pag. 47.
Error Petri Regis moſpolienſis, qui in operibus poſthumis

Malpighii in præfatione ad Lectorem dicit, Galileum, reluctante conſcientia, ut ſe liberaret à vexationibus Sacræ Inquiſitionis, abjuraſſe ſententiam de motu circulari Terræ cum Orbe, in eodem ſupracitato loco. pag.48.

Error Contradictorum Ariſtotelis imitantium Martinum Lutherum, alioſque Hæreticos illum vituperantes eodem loco. pag.45.& ſeq.

Error Carteſii, & Aſſeclarum circa principia molis, figuræ, & motus eod. loco. pag.43.

In Ordinatoriis. Tractatus I.

Errores Recentiorum in tractatu primo Scrutinii primi circa creationem, in quo damnatur primo Boylis propoſitio in ſuis dubiis, & paradoxis Chimicophiſicis, quæ ſupponit creationem ex materia univerſali variè commota. pag.70.& ſeq.

Reiicitur Petri Joannis Fabri opinio, qui ex naturæ univerſalis eſſentia commota ſecundum ſua innata principia ſulphuris ſcilicet, Mercurii, & ſalis Deum omnia creaſſe ſupponit. pag.72.

Reiicitur Georgii Riplei Philoſophi Angli, qui modò ex nihilo, modo ex una maſſa confuſa omnia fuiſſe creata, recenſet. pag.73.

Error omnium Recentiorum negantium quatuor elementa à SS. Patribus communiter admiſſa. Scrut. I.& II. pag.67.74.& ſeq.

Error Chimicorum, qui elementa, ut corpora mortua, & vilia pecora vituperant. Scrut.III. pag.83.& ſeq.

Error Paracelſi, & Petri Severini, qui homines aſtrales, & quinteſſentiales conſtituunt, elementa tantum pro indumentis habentes, aliorumque etiam, qui alia componentia præter elementa in humana conſtitutione admittunt. dicto Scrut.III. pag.84.& ſeq.

Error

Error de principiis Chimicorum elementorum loco ſubrogatis contra ſenſum Sacræ Geneſis. Scrut. IV. pag. 86.

Error duplex Tachenii, qui infuſam divinitus Salomonis ſapientiam ad veram ſcientiam acidi, & alKali videtur reducere, ejuſdemque applicatione poſſe mortuos reſuſcitari §. VII. ſupradicti Scrutinii p. 105. & ſeq.

Error Vvillis in definitione ſpiritus principii chimici, quem definit particulam Divinioris auræ, *ac ſi eſſet ſimilis, & nobilior rationali anima, quam definit* particulam Divinæ Auræ eod. loco. pag. 107.

Errores Paracelſi, qui docet, hominem præter terreſtre ſidereum habere corpus cum aſtris conjunctum, cum quibus poſſit confabulari; & remotiorum partium Incolas animas neque habere, neque eſſe progenies Adami, necnon ſtellas comedere, alvumque exonerare, & humanam intelligentiam à ſtellis in homines profluere. De Chimicorum entuſiaſmate. Scrut. V. pag. 116. & ſeq.

Error Jacobi Behemen Philoſophi Theutonici, qui docuit, Solem ab omnibus ſtellis factum eſſe, ſomniaque eſſe viſiones à ſtellis immiſſas dormientium Mortalium mentibus &c. eod. Scrut. pag. 117. & ſeq.

Error viſionis, quam habuiſſe fingit Jo: Dauſtenus Philoſophus Anglus de ſua philoſophica tinctura, quam adumbrat miſterii Incarnationis Chriſti Domini ad inſtar eod. Scrut. pag. 118.

Error Crollii, qui exaltando impium Paracelſum, præfert illum Salomoni, qui infuſam à Deo obtinuit ſcientiam, eodem Scrut. pag. dicta.

Error Heningi Scheunemanni in hidromantia Paracelſica, ubi docet Paracelſum hermeticam doctrinam Spiritus Sancti aſſiſtentia compleviſſe eod. Scrut. pag. 119

Error hæreticalis ejuſdem Paracelſi, qui Moyſem, Ioannem, David, *Salomonem, Baruch, Jeremiam, Ezechielem, cæteroſque Prophetas effutit, Magiam coluiſſe, qua miracula ederent* eod. Scrut. pag. 119.

Error

Error Petri Joannis Fabri Chimici, qui docet ſpiritum Mundi naturam conſervare, fovere, nutrire, corpus humanum formare, myſterium Incarnati Verbi quadantenus repræſentare, ac eſſe ſymbolum cum Sacratiſſima Virgine, præter alias abſurditates firmiter rejectas eod. Scrut. pag. 120. & ſeq.

Error Boylis, & Joſephi del Papa circa atomos, ſeu particulas, & materiam univerſalem Scrut. IV. & §. IX. pag. 132. & ſeq.

Error Helmontii de unico aquæ principio eodem loco. pag. 131. & ſeq.

Error Authoris anonimi de corpuſculis inſenſibilibus primo componentibus eod. loco. pag. 134.

Error Malpighii circa particulas, & alia eod. loco. p. 135.

Errores Recentiorum in Tractatu II.

Error Carteſianorum, qui mechanicis motus legibus rerum tribuunt conſtitutionem §. I. Scr. I. p. 141. & ſeq.

Error tot Philoſophorum, qui Cauſa Prima neglecta, omnia in cauſis ſecundis impotentibus refundunt à §. primo ejuſdem Scrutinii uſque ad quartum p. dicta.

Error eorum, qui contra ſacram Geneſim herbarum, plantarumque generationem in aliquibus extra ſemina ex putri admiſerunt. §. V. pag. 161. & ſeq.

Error Fortunii Liceti, qui ſerpentes igneos contra Hebræos miraculosè à Deo *immiſſos in pœnam eorum ſcelerum ortos ex putri fuiſſe docet.* §. VII. pag. 174.

Errores nefarii Paracelſi, Arnoldi de Villanova, Conradi Pieri, Suuammerdami, ac aliorum Recentiorum de humana generatione. §. IX. pag. 178. & ſeq.

Error eorum Carteſianorum, qui humanam generationem per motum ratione carentem fieri contendunt. §. X. pag. 186. & ſeq.

Error Dolæi, qui per evolutionem ideæ humanæ, quæ in

Chaos continebatur, hominem de limo formatum eſſe, dicit. §. XI. pag. 192.

Error Recentiorum de aliis cauſis ineptis humanæ generationis eod. loco. pag. dicta & ſeq.

Error tam communis Novatorum de humana generatione ex Ovulis muliebribus. Scrut. III. pag. 197. & ſeq.

Error Malpighii de aſperſione ſeminis virilis pro fæcundandis inſectis n. 15. dicti Scrutinii III. pag. 211.

Errores Recentiorum in Tractatu III.

Error Carteſianorum, qui contra ſenſum Sacræ Geneſis involant animam à Brutis Scrut. I. pag. 234.

Error Paracelſi, Ganimedis Joannis Sperlingen, & Marchi Marci de actu entitativo animæ Brutorum §. I. p. 248.

Error Etmuleri, Vvillis, & Dolæi, qui binas animas admittunt in humano corpore, & alia abſurda dicunt, ut in confutatione §. II. pag. 250. & ſeq.

Error Helmontii, qui memoriam, & voluntatem aſſerit pendere à facultate vitæ caducæ, & ſenſitivæ, ac aſtra nos cogere, non inclinare. §. III. pag. 269. & ſeq.

Error eorum Recentiorum, qui negant facultates humani corporis, quas negando, animam negare probatur, & cum Atheis, & Hæreticis convenire, eod. loco per totum. pag. dicta, & ſeq.

Error eorum Recentiorum, qui mechanico modo, & toti materiæ immerſi vitales actiones, & ſenſationes à varia materiæ modificatione, nimirum à partium configuratione, à fermentis, & fibrarum tremore, & undulatione deſumunt, quando hæc ſunt mera Animæ, ejuſdem facultatum agentium Inſtrumenta, eodem loco, & alibi pag. 271. & ſeq.

Error Dolæi, *Vvillis, Helmontii, & Carteſii circa Animam, ejuſdemque facultates*. §. VI. pag. 292. & ſeq.

Error Jacobi Silvii Batavi, Vvilliſii, Blancardi, Joh. Helfrici Jungben, aliorumque Recentiorum, qui no-

ſtrum vivere al... ide, quam ab Anima deſumunt. Scrut. ultim. pag.296.& ſeq.

Error Digbi, *Gregorii Piſidæ, & Paracelſi, necnon Petri Borelli de mortuorum reſurrectione.* eodem Scrut. pag.299.

Non nobis Domine, ſed Nomini tuo da gloriam.

Imprimatur ſi videbitur Reverendiſs.P.Mag.Sac.Pal.Apoſt.
Dom. de Zaulis Epiſc. Verulanus Viceſg.

Opus, cujus titulus *Sacra Authorum Recentiorum Critica in Philoſophia, Chimia, & Medicina, in qua ſexaginta, & ultrà errores ſacr is dogmatibus diſſoni deteguntur*, Authore D.Petro Angelo Papi Medico, & Philoſopho Sabinenſi, ex præſcripto Reverendiſs.Patris Fratris Paulini Bernardinii S.P.A. Magiſtri Ordinis Prædicatorum, vidi,& attentè perlegi, & nihil in eo reperi ab Eccleſiæ Catholicæ doctrina diſſonum, aut bonis moribus repugnans. Imò opus cenſeo hiſce temporibus apprimè neceſſarium,in quibus multorum dicendi libertas, vel ſopitas hæreſes evigilare facit, vel novas in lucem prodire permittit. Quapropter digniſſimum exiſtimo, quod typis mandetur, ſi ea ejuſdem Reverendiſſimi voluntas fuerit. In Conventu S.Mariæ ſuper Minervam. Die 6. Menſis Decembris 1705.

Frater Athanaſius Muſcetta S.T.M. Ordinis Prædicatorum.

Iuſſu Reuerendiſs. P.Mag.S.Pal Apoſt. vidi, ac perlegi librum, cujus titulus eſt *Sacra Authorum Recentiorum Critica, Chimia, ac Medicina* à D.Petro Angelo Papi Philoſophiæ, ac Medicinæ Doctore conſcriptum. In eo nil fidei, ac moribus adverſum inveni, quinimò Authoris ſtudium, ac diligentiam notavi.

Bartholomeus Santinellus ex Romani Collegii Archiatris.

Imprimatur,

Fr. Paulinus Bernardinius Ordinis Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Magiſter.

PRAEFATIO,

ET

EXCUSATIO AUTHORIS AD LECTOREM.

NON me latet, humaniſſime Lector, quod omnium palato hæ meæ diſſertationes detegentes nonnullorum Recentiorum Medicorum errores gratæ eſſe, non poſſunt, ſed diſplicere: malis, (monet Seneca) eſt collaudari à bonis, malo itaque communi bono conſulere, quam eorum mihi benevolentiam conciliare, ac dummodo aliquid proficiam contra corruptam dicendi licentiam in libris Phyſicorum inventam, haud curo me mille maledictis cooperiri, quia conſcius ſum, magis valere ſupernam Dei benedictionem, ad cujus laudem, & honorem hanc laborioſam Provinciam aſſumpſi, quam eorum imprecationes, & maledicentias: Deo etenim, & veritati placere, ſalarium eſt bonorum, & qui quod verum, quod rectum aſſerit, Viri boni officium gerit, nullique facit injuriam.

Videbitur Medicis recentioribus incongruum eſſe Medico Comproféſſorum errores ad lucem detegere, ſed magis indecorum, & inhoneſtum mihi videretur fuiſſe, eorum errores contra fidem, & ſacra dogmata agnoſcere, & ſilentio illatebrare, ac inde ab aliis etiam ipſe repræhendi. Audivi querulam Hieremiæ vocem clamantis 8. *Ideo obducta cicatrix filiæ Populi mei, quia non eſt reſina in Galaad,*

laad, nec Medicus ibi: propterea ſi cognoſcens abſurdas irrepentes opiniones conticeſcerem, jure meritò conquereretur Jeremias: *Nec Medicus ibi*. Undè in hac in re gaudendum potius redarguentibus, quam aſſentantibus, ut ait Pittagoras apud Stobeum.

Nimis quippè ſapere voluerunt moderni Medicinæ Doctores, quando in communi ignorantiæ luto ſe ceſpitare, illis credendum erat, nam ita faſſi ſunt magni ſapientiæ filii: Quid mirum igitur ſi tot abſurdis opinionibus pene totam phiſicam contaminarint, in qua tanta ſciendi jactantia procedunt, ut non ſolum optimi Reipublicæ Chriſtianæ Philoſophi cachinnis excipiantur, ſed Sacræ licteræ, & Sancti Patres poſthabeantur, & Deus ipſe vix recognoſcatur, ſicuti in hoc libro propalabo, & ſacris authoritatibus, & phiſicis rationibus confutabo.

Ad hæc peragenda meam concitavit attentionem D. Paulus ad Coloſſenſes 2. dum admonebat: *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam*: & ad Corinthios cap. 3. *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum, ſcriptum eſt enim, compræhendam ſapientes in aſtutia eorum, Dominus novit cogitationes ſapientum, quoniam vanæ ſunt*; & D. Hieronymus in epiſtola 2. ad Damaſum Papam ſcribit, *philoſophiam eſſe Dæmonum cibum*. Quæ documenta præcipuè verificari de moderna Recentiorum doctrina, fidem facit celeberrimus Franciſcus Marinus Perſennus Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula Comment. in Geneſim tum in præfatione ad Lectorem, ubi acriter invehit contra Novatores, qui in eorum nova philoſophia male audiunt, & ſentiunt de Fide Catholica, manuſque hæreticis, & Atheiſtis porrigunt, tum latiùs in articulo tertio, ubi

ubi loquens de Atheiſtis, inter præcipuas cauſas recenſet inordinatum ſtudium, nimiamque ſollicitudinem, qua in rebus naturalibus incumbunt, & eorum motus omnes, opera, proprietates, & affectiones in cauſam naturalem referunt, adeo ut nihil illis ſupra naturam videatur, hinc fit, *ut Philoſophi, atque Medici atheiſmo faverint, & in eum inciderint*.

Propterea quicunque ſis Medice Lector, habe me excuſatum, ſi quæ mei ingenii tenuitas intelligere poterit, conſpirare contra Sanctam Fidem, candidè palam faciam, ut ſaltem ad meliora dicenda in re tanti momenti, expergiſcantur ſanctiores, & Doctiores Viri, qui firmiori modo ſtatuant, quæ à me infirmiori prolata ſunt. Amico, igitur, & ſancto loquantur Medici eloquio, ſic enim noſter illis ridebit Apollo; Ego quidem ex fide teneor, erroneas detegere opiniones, ne diabolicus lupus, imò leo rugiens in ovile Domini ſubintret, & quo ad phiſicam partem vinea Domini ſilveſcat, ac inimicus homo ſuperſeminet zizania.

Neque ob id alicui in mentem veniat, me alioquin adverſum eſſe Medicis, & medicinæ, quia proteſtationem præmitto, quod ipſe, derelictis ſtudiis legalibus, & theologicis ſuper omnia, & ex profeſſo profundè Medicos, & medicinam colui, in cujus veritatis argumento ne pigeat Lectorem, medicinæ elogium nunquam fortaſſe ab ullo tali modo pertractatum, & à calumniis defenſum perlegere, ex quo fas erit percipere, meum aſpiraſſe animum ad medicinæ immunitatem ab erroribus, non vero ad ejuſdem contumeliam.

Jam ipſe prævideo, non defuturos calumniatores, Zoilos detractores, iniquoſque cenſores (cum

mundus in maligno poſitus ſit) qui aculeis, vipereiſque morſibus hæc paucula noſtra lacerabunt, clam legentes, & palam ſubſannantes, ſed eos dumtaxat cum Propheta David exoro pſal. 140. *Emendet me juſtus cum miſericordia, & arguet me;* dum mihi non licet placere his, quibus diſplicere laus Deo eſt. In cujus auxilio exclamare poſſum cum Maſſimiano Auguſto: *Quid eſt, quod timere poſſimus? Cæſarem ſequimur.*

ELOGIUM
DE PRÆSTANTIA MEDICINÆ

Ad culmina Dignitatum, & honorum exaltatæ;

Et de ejuſdem Criticorum confutatione exiſtentiam, ejuſque encomia denigrantium, ac in fine quales conditiones bonus Medicus debeat habere, docentur.

INvaluit apud humanam Rempublicam decantata ſententia: *Dat Galenus opes, dat Juſtinianus honores*, quaſi medicinæ candidati mammonæ ſolum, & non honoris præmia referant; deleatur ergo à conſpectu viventium talis ſententia, nam hæc excellentiſſima facultas in rerum humanarum apice refulget, omnibuſque litterarii Palladii profeſſionibus palmam contendit, ac ut talis victrix appareat, triplici cingitur triumphali laudum corona, nimirum nobiliſſimam jactat à Deo creationem, habuit ſupremæ dignitatis viros ſectatores, & ma-

& magno Sanctorum numero Medicorum fuit decorata.

Et primo quo ad illius nobiliſſimam creationem, Divinitus nobis fuiſſe conceſſam non ſolum Ethnicorum, ſed Catholicorum eſt indubitata fides, propterea Ethnici fecerunt medicinæ authores Apollinem, & Æſculapium, & Lucianus, & Pittagoras illam Diviniſſimam facultatem nuncuparunt. Et Catholici Medici verius medicinæ creationem deſumunt ex ſacris paginis, præcipuè ex Eccleſ. 38. *Altiſſimus de terra creavit medicinam, & Vir prudens non abhorrebit ab ea*: *Honora medicum propter neceſſitatem, etenim illum creavit Altiſſimus*, & alibi repetit: *In infirmitatibus tuis da locum Medico, quoniam illum creavit Altiſſimus, & non diſcedet à te, quia opera ejus ſunt neceſſaria*, ac tandem Eccleſ. 10. repetit: *omnis medicina ab Altiſſimo*: & in homilia 38. S. Gregorii, *Raphael dicitur medicina Dei*.

In hujus veritatis teſtimonium reſpice quesò immenſam vegetabilium provinciam, mineralium fodinas, Animaliumque pluralitatem à jùgi rerum Patre creatorum, & ſedulò contemplare hìc herbarum, mineralium, animantiumque virtutes; illìc viceverſa tot venena, tot aconita, tot inquam mortis genera inter venenata animalia, inter Cicutas, inter Napellos, & mineralia latentia, in quorum diagnoſi ſi debet medicina verſari, ut adverſa fugiat, & venenatos ſanet, juxta illud Eccleſ. 38. *unctiones conficiet ſanitatis, & non conſumabuntur opera ejus*: concludendum remanet, quod magnus, & laudabilis Dominus, qui venena volvit, medicinam adjutoriam creaverit. *Dominamini* enim, dixit, *piſcibus maris, volatilibus Cœli, beſtiis terræ, &c.* & Divinus Cythariſta: *omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves, & boves, univerſa inſuper, & pecora cam-*

 pi.

pi. Quod planè inter cæteros magis verificatur in Medico, qui rerum inquirit uſus, virtutes, & proprietates, in quo ſenſu cecinit Homerus:

Doctior eſt cunctis Medicus mortalibus unus.

Quo ad ſecundam Medicinæ laudem, illam ſequuti ſunt Pontifices, Imperatores, Reges, Cardinales, Duces, Principes, Equites, & cujuſvis nobilitatis Viri, Teſtis ſit nobis inter Pontifices Petrus Hiſpanus Joannes XX. vocatus, Euſebius Papa Græcæ nationis Medicus, & filius Medici palma martyrii coronatus ſub Maſſentii tirannide; nec non Nicolaus V. Pontifex Maximus Medici Sarzanenſis inclita proles. Inter Imperatores teſtis ſit nobis Alexander Magnus, Juſtinus, Coſtantinus quartus Imperator, qui poſt devictos Saracenos, & Arabes ſummo ſtudio medicinam coluit, Adrianus, & alii.

Inter Reges Salomon, Mytridates Ponti Rex Ægyptiorum, Meſue Regis Damaſi Nepos, Sabor, & Giges Medorum Reges, Sabid Rex Arabum, Archelaus, Attalus, Hermes, Juba Rex Mauritaniæ, Juſma Scotiæ, Agrippa Judæ, Ariſta Rex Archadum, Idomenus Rex Cretæ, Evaces Rex Arabum, & alii.

Inter Cardinales refert Fulgoſius lib. 6. Ludovicum Paduanum, Vitalem del Forno, Panſettam, Scarampam, & alios. Inter Principes Avicenna fuit Corduæ Princeps, Enricus Danzovius Vice-Rex Holgatiæ &c. Inter Equites familia Acoramboni, de Angelis, Petronii, de Valle &c. quos libenter ſileo, ne tædioſus fiam, quippe enim ſatis longus eſt numerus omnibus notus, & ubique Terrarum numerus diffuſus.

Quid igitur mirum ſi Plato lib. de regn. exclamavit: *Exiſtimare eos civiles, ac regios homines oportet,*

tet, qui arte quadam imperant volentibus, & nolentibus ſecundum ſcripta, nam & Medicos ſic appellamus? & Cicero orat. pro Marc. *Homines ad Deos nulla re propitiùs accedunt, quam ſalutem hominibus dando?* Hipocrates quoque magnæ authoritatis Philoſophus ab ipſo non diſſentiens, Phyſicum Diis æquiparandum eſſe, cenſet.

Quam veritatem ſi promere velimus ex ipſorum inimicorum ore, accedat hùc Zoilus Medicinæ Petrarca, qui in epiſtola tertia ſcriptum reliquit: *Salutis Profeſſores quæro, quos ſi inveniam, non diligam modo, ſed paulò minùs adorabo Divini Numinis largitores*: Hùc inquam accedat inter laudatores infenſus Medicinæ maledicus Plinius, qui lib.23. proem. aſſeruit *rem utiliſſimam, & omni alia fructuoſiorem, & nobiliorem* (quando alioquin contra veritatem aſſeruerat, ut inferius demonſtrabo, Medicos à Romanis fuiſſe expulſos). Sed parum eſſet inſigni medicinæ gloriæ in ejus obſequium præcitatos Authores recolere, niſi & Sanctos Doctores Panigiriſtas haberet, & pro cunctis valeat aurea D. Auguſtin. laus enar. in pſalm. 83. *Omnium, dicens, actionum humanarum mater neceſſitas, ipſa memorabiles artes, quæ magnæ videntur in ſubveniendo patrocinia linguæ, & adjutoria medicinæ, ipſæ ſunt enim in hoc ſæculo excellentes actiones*: & magis præcisè in Eccleſ. 38. extat Oraculum. *Diſciplina Medici exaltabit caput illius, coram Principibus collaudabitur, unctiones conficiet ſanitatis, & non conſumabuntur opera ejus.*

Tertiò: Quibus laudibus efferam, neſcio, multitudinem Sanctorum, quibus decorata fuit Medicinalis Profeſſio, eo quia talis, & tanta Sanctorum Medicorum adeſt multitudo, ut Martyrologium compleret; ſilentio involvo SS. Cyrillum Alexan-

drinum, Blaſium Epiſcopum de Sebaſte, Dioniſium Diaconum, Cordatum de Corintho, Beatum Joacchinum Japponenſem, Papilum Diaconum, Joannem Damaſcenum, Taleum, Baſilium Magnum, Urſicinum, Orticulanum, Antiochum, Hermolaum, Pantaleonem, Leontium, Carpoforum, Philippum Benitium, Coſmam, Damianum, Euſebium, Zenobium Emilianum, Alquirinum, Lucam tandem Euangeliſtam, & alios Sanctos, & Martyres relatos à doctiſſimo Joſepho Donzelli in principio theatri pharmaceutici, quos paucos obiter indicaſſe ſufficiat, ut tertium aſſumptum de præſtantia Medicinæ breviter probatum remaneat.

Quapropter Salvator Mundi ſuo tamen omnipotenti modo in complementum medicinæ laudum ſuam infinitam ſanctitatem non dedecere medicinæ exercitium, indigitavit, dum juxta S. Matthęum 4. *Circuibat totam Judæam, ſanans omnem languorem, & infirmitatem in Populo*, ideoque Sanctorum Chorus ejus veſtigia calcans cum ſanctitatis ſplendore conjunxit medicinæ ſequelam, opus ſanè miſericordiæ viſendi infirmos tantoperè ab Altiſſimo commendatum.

Quibus perponderatis erubeſcant maledici detractores venerandam medicinam calumniis, & contumeliis excipere, ſiquidem ex præcepto Divino Medicos debent honorare, ut docent ſacræ recenſitæ litteræ, ejuſdemque præceptis cervicem ſubjicere propter neceſſitatem, ita Caſſiodorus narrans veterum Monarcharum cereemoniam in electione Medici Archiatri, regiam majeſtatem juſſibus Medici ſubjectari oſtendit per illa verba à Monarchis prolata: *Habeto fiduciam ingrediendi, fas ſit tibi nos fatigare jejuniis, & contra noſtrum ſentire deſiderium*. Quamobrem Divus Auguſtinus non dubita-

bitavit tanquam homicidas inculpare illos, qui Medici præcepta negligunt, ac ut narrat Poſſidius in ejuſdem vita, exactè Medicorum conſilia in ſua ultima infirmitate ſequebatur, & ab aſſidua applicatione circa res Divinas nunquam ſe perturbari imperabat, niſi quando ad eum viſendum accedebat Medicus; quapropter altiſſimus Deus invigilans ad honorem medicinæ ab ipſo creatæ, ſubitanea, & improviſa morte mulctavit Pariſiis anno 1674. Joannem Baptiſtam Molieram Authorem Comediç de ægroto imaginario, dum publicè in ſcenis Medicos deludebat.

Et re vera ſicuti ambigendum non eſt, reperiri multa certa remedia tam in regno vegetabili, quam in regno animali, & minerali, ideo non ſine dementiæ vitio habendi ſunt illi, qui linguam acuunt contra Medicos, & Medicinam, quam veritatem confirmat Toſtatus lib. 2. cap. 16. dicens: *non poteſt quis negare, nec dubitare artes naturales virtutem habeant ſanativam, niſi omnino inſaniat.* Cujus magna authoritas in ſumma exiſtimatione contra maledicos inſanientes ponit medicinam proficuam, atque commendabilem.

Ac quamvis tranſactis ſæculis contra medicinæ ſplendorem inſurrexerint Petrarca, Montagna, Petrus Abanus Medicinæ Doctor in Univerſitate Pariſienſi, Plinius, & noſtro ſæculo Leonardus de Capua, Jacobus Bottus, Joannes Jacobus Lavagna, & alii. Nihilominus ſemper viridis ejus gloria vernat, & Sacræ Scripturæ oraculum verificatur: *Diſciplina Medici exaltabit caput illius, coram Principibus collaudabitur, unctiones conficiet ſanitatis, & non conſumabuntur opera ejus.* Victas ipſe libenter manus darem, ſi inter ſcientiarum, & artium liberalium Profeſſores aliquis adeſſet, qui hujuſmodi

modi laudis monumenta, & præconia de reliquis humani palladii exercitiis proferre, & probare poſſet; verum enim aſſerere licet, hoc difficillimum porrò eſſe: Cognoſcentes itaque hanc candidam veritatem Ægyptii in abſcondito medicinam profitebantur, ſolumque Sacris, & Primogenitis fas erat, illam poſſidere, & præter magnitudinem decoris, & dignitatis, immenſos theſauros ex illius exercitatione percipiebant.

Quid mirum igitur ſi habita ratione ad medicinæ utilitatem, & prærogativam Romanæ leges maxima Medicis concedant privilegia, ipſos namque excipiunt à ſuſcipienda tutela Reg. ſi duas §. primo ff. de excuſat., ac mandant citius determinari eorum negotia, ne deturbentur à ſalutaribus exercitationibus. Item Romæ inſtit. l. 1. eodem tit. & quod eorum conditio ſit favorabilior cæteris Profeſſoribus per enunciatam rationem, *quod Medici ſalutis hominum, alii ſtudiorum curam agant* l. 1. §. Medicorum ff. de extraord. cognit.

Unde Molanus præcipue reflectens ſupra titulum legis de Comitibus, & Archiatris magnam, ait, æſtimationem à legibus fieri de Medicis, quos ſingulari privilegio, & prærogativa æquales illos facit, atque declarat cum Comitibus, Duchis, atque Vicariis, & quo ad Comites inviolabilis viget conſuetudo in Medicis Regis Francorum, ubi Comites habentur, ac nuncupantur. Et hic Romæ Terrarum Orbis magiſtræ Pontificii Medici inter Præſules venerantur.

Quare mirabile eſt, quod nonnulli aliquali nobilitate præditi vileſcere ſe putent, ſi medicinam colant, quando inſignis gradus nobilitas hoc nobile exercitium minime reſpuit, jam hujus veritatis fidem faciunt recenſiti Pontifices, Imperatores,

Re-

Reges, Cardinales, & Principes: Et ne unquam deinceps hæc levis ſuſpicio de amittenda nobilitate, moram illis faciat, ſi adducta uſque dum, illis non ſufficiant, dignentur quæsò legere Andream Tiraquellum lib. de nobilitate cap. 3., ubi apertis fidibus docetur, *quod Medicina eſt ars honeſta minime ſordida, neque nobilitati præjudicium affert;* itaque inflammato pectore incumbant ad medicinam equeſtris ordinis Viri, nec ſordeſcere ſe autument in Machaonicis artibus, quæ in Apolline tenebrarum propulſore ſuum jactant tabernaculum.

Nec ad illatebrandas medicinæ dotes vigeat amplius in Lectoris animo Plinii mendacis fallacia, quod nimirum Romana Reſpublica ſexcentis annis ſine Medicis vixerit, licet non ſine medicina, quia ſuſpicio falſitatis arguitur ex eo, quod nemo ex hiſtoricis Romanarum rerum (ſi Plinium excipias) hoc aſſeruerit, nec ulla viget memoria, ſive decretum in ſenatu de Medicorum expulſione, ſeu de illorum ad Urbem revocatione, ubi ſemper per continuatam ſæculorum ſeriem Medicos medicinam exercuiſſe, probant vetera monumenta. Sed revera hæc Plinii illuſio ortum habuit ab averſione Catonis, & nonnullorum Romanorum contra Arcagatum Chirurgum, ejuſque alumnos ſectatores ex Peloponeſo Romam profectos, qui chirurgico more incidebant, ſecabant, urebant juxta morborum genera; at cum eſſent Græci Romanorum inimici, hoc ex hoſtilitate fieri putabant, illoſque ab Urbe exularunt; imò tantum abeſt, quod dejecti fuerint Medici, ut ipſe Plinius lib. 23. proem. affirmet, Romanos exulaſſe ab Italia omnes Græcos, exceptis Medicis; hinc diſce Lector, inter Plinii fabellas hanc quoque pallinodiam numerari debere.

Ve-

Verum quidem eſt, pluries à Roma fuiſſe relegatos, ac expulſos Mathamaticos, & fidem faciunt Joannes Voſſius, Tacitus, Valerius Maximus, & Vulpinianus in ff. de injuriis l. 15. §. ſi quis; nec non ter fuiſſe expulſos Oratores, quamvis neceſſarios in defendendis cauſis, & protegenda æquitate, ut ex Sueton. lib. de illuſtr. Rhet. Cornel: Agrip. de vanit. ſcient.; ſed de Medicis hoc non conſtat, ſi jure merito fidem Plinio deroges.

Pariformiter in oblivionis puteo immergantur calumniæ illæ contra medicinæ exiſtimationem à Lacerda deſumptæ primò ex verbis Sacræ Geneſis 50. *Præcepit ſervis ſuis Medicis, ut aromatibus condirent:* ubi Joſeph ſervis ſuis imperavit, ut aromatibus condirent corpus Jacobi ſui Genitoris. Secundò ex illo Virgilii carmine Ænead. lib. 12.

Maluit & mutas agitare inglorius artes.

Quibus contumeliis inſulsè prætendit, huic ſplendidæ Apollineæ arti tenebras ignobilitatis affundere, nam Apollo Medicinæ inventor habitat in tabernaculo ſolis, & ſuo lumine illicò pellit has tenebricoſas invidi animi cavillationes.

Etenim ſuper allata Scriptura non loquitur de verè Medicis, qui apud ægros, non verò apud mortuos verſantur, ſed de ſervis Aromatariis Ægypti, quorum proprium officium erat, tam perfectè balſamo condire cadavera, ut per plura ſæcula integrè conſervarentur; propter quod S. Joannes Chryſoſtomus, & Lyppomanus interpretes dictum Scripturæ locum ſequenti modo legunt: *Mandavit Polinctonibus, ut aromatibus ad ſepulturam condirent Patrem:* Unde Medici ſervi illi dicebantur in hoc officio, quia res medicinales tractabant, quod clarioribus terminis Plato primo, & nono de legibus ad rem noſtram explicat, dicendo: *Me-*

Medicinæ quaſdam functiones ſervis, artis tamen non ignaris, fuiſſe deſtinatas, & lib. 4. de legibus miniſtros nonnullos medicinæ apud Græcos, nomine Medicorum compellari, manifeſtè enunciat per hæc verba: *Non ne dicimus Medicos quoſdam eſſe, & quoſdam Medicorum miniſtros, quos Medicos appellamus?* Et undenam regale Medici miniſterium poterat eſſe vile, ſi per leges enarratas viles ſervi, & ſpurii à medicinæ dignitate excludebantur? Et Medicos regios eſſe homines Regibus, & Imperatoribus imperantes, ſententiavit Divinus Plato jam antea citatus? Si his tandem profanis fidem non præſtes, vide Sacra in Iſaia, in quo legitur: *Eſto nobis Rex &c.* reſpondebat, *non ſum Medicus*, & regale Medici officium in iſto ineluctabili Sacræ paginæ teſtimonio contemplare.

Secundò Virgilii carmen:

Maluit & mutas agitare inglorius artes.

Nil prorſus adumbrat medicinæ nitorem, nam vel ibi Poëta loquitur inhærendo communi illi ſententiæ: *dat Galenus opes, dat Juſtinianus bonores*, cui jam in principio ſatis reſponſum, vel canit de indocto, ac inexperto Empirico Medico. qui ſuæ ignorantiæ conſcius verè inglorius, ideſt ſine laude, & gloria poterat medicinam exercere, contra quam, vt docet Hipocrates facillimè vulgus malè loquitur. Verumtamen hæ nugæ veram non offendunt medicinam, quæ ſemper triumphatrix, & victrix habitat in regalibus papilionibus, & hos maledicos ſcarabeos vix dignatur proſpicere.

Quam medicinæ magnam dignitatem ſi ultrà videre, cupiat Lector, perpendat Medicos curantes Principes, Imperatores, Reges, quando inſigni ſupereminentia authorizati ingredientes ad regales thoros ſubjectant eorum dominio febricitantes

Mo-

Monarchas, erga illos exercent rigoroſæ juriſdictionis actus, lautas prohibent menſas, ad parſimoniam damnant, exoſis medicinis perturbant, illoſque venarum ſectionibus, ſcarificationibus, veſſicantibus, ferris candentibus cruciant, & tamen veluti benefactores habentur, largiſque præmiis, & honoribus remunerantur.

Deleatur denique ab humana mente in præjudicium medicæ facultatis illud tam decantatum argumentum herculeum à Detractoribus habitum, quod deſumunt ex verbis S. Job: *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*: nam ſi ſimpliciter ſumatur, & nudo litterali ſenſu, incident in hæreſim, ut admonet Eſtius comment. in cap. 14. Job: attento quia multi ex hæreticis crediderunt inevitabilem fatalitatem determinati curſus noſtræ vitæ, ac cæterarum humanarum actionum, ablato à nobis libero arbitrio; Viget hujus ridiculæ opinionis lues de inevitabilis mortis die apud Turcas, ut tradit Proſper Alpinus, adeo ut peſtilentiæ tempore nullas pro ea debellanda, adhibeant diligentias, & innumeri, impunè, debaccante peſte, miſerè intereant: Itaque, ut interpretat Eſtius in dicto Commentario, verba S. Job nil aliud ſignificat, niſi quod Deus ſcientiam certiſſimam noſtrorum dierum poſſideat, ac propterea decretum infallibile fecerit, hominem talem terminum non præteriturum, cæterum cum vita hominis ſit ex ſui natura contingens, & fragilis, Deus nunquam deſtruit naturam entium; ſed linquit in ſuo eſſe, nec ſolum quia ex conſequentia, & ſuppoſitione Deus prævidet, homo morietur, ſed morietur etiam propter impedimenta vitæ, cum Deus juxta Divum Thomam non interrumpat ordinem rerum naturalium.

Po-

Poterit ulterius verificari ſupracitata Patientiſſimi ſententia correlative ad illa verba Sacræ Scripturæ, quando Deus dixit: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum*, & ita erunt conſtituti termini, qui præteriri non poterunt, verumtamen multi floreſcente pereunt ætate, propter vivendi incuriam, juxta Eccleſ. documentum: *propter crapulam multi obierunt*, deindè pergit: *Qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam*: ergo abbreviatio, & elongatio vitæ poteſt pendere ex mala, aut recta vivendi norma, ut docet, & conſulit medicina.

Pariformiter Andreas Cretenſis Comment. in orat. 1. Greg. Naz. *Mortem*, ait, *retardari poſſe per medicinam, quæ humorum diſcraſiam reconciliat*, cui enim notum non eſt, poſſe res ſalubres, & moderatum vitæ regimen, noſtram protrahere vitam, ad quid ergo perſcrutanda incomprehenſibilia Dei decreta, quæ non licet homini loqui, ut recurramus ad cœcam, & nobis incognitam fatalitatem? Neque in hujus argumenti probationem neceſſariæ deficiunt authoritates, nam Teophilat. Com. in cap. 6. Matth. recenſet, non prohibuiſſe Deum Apoſtolos de rebus neceſſariis ad vitam, & ſanitatem conſervandam, quamvis ſtrictiori modo noſtri Salvatoris familiaritate fruerentur Apoſtoli, à quo virtus exibat, & ſanabat omnes.

Docuit nos exemplo D. Paulus, qui Timotheo languore ſtomachi laboranti, vinum potandum juſſit, quando alios infirmos verbo ſanabat, ut nobis oſtenderet in infirmitatibus non eſſe negligenda remedia naturalia, quibus confidentes in Domino, Authore rerum, uti debemus.

Sed antiquiora in ſacris paginis adſunt teſtimonia, ſiquidem Tobiæ cœcitas cum felle piſcis, quem

quem Valleſius de ſacra philoſophia cap. 42. putat, fuiſſe Vitulum Marinum, ſanata remanſit; eodem modo Ezechiæ curatio per ficum fieri juſſit Deus, morbum vero, quo affligebatur, pleuritidem fuiſſe, cenſet Petrus Hiſpanus in theſauro pauperum cap. 26. & alios ſimiles caſus, quos notat Thomas Bartolinus in libro de morbis biblicis.

Ad hujuſmodi leve adminiculum miſerabiliter recurrunt helvones, qui præcepta medicinæ ſpernentes, quotidie in medicorum conſpectu repetunt: *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*: *Mors, & vita in manu Domini*. Unde nam ergo tanta cibandi abſtinentia, unde tanta parſimonia venit: Sanus quidem homo nullis ſe legibus obligari debet juxta doctrinam Cornelii Celſi: Manet in Dei alta mente repoſitum, ſi ægrotare debeat homo, dum ipſe ſolus poteſt adaperire malorum Pandoræ urnam, juxta illud: *Non eſt malum in civitate, quod Deus non fecerit*. O Viri Epicurei ſilete, ac tales de veſtra inſatiabili gula ſiſtite depromere voces, ſi Deus conſtituit terminos hominum, ſi in ejus manu poſita eſt mors, & vita, cur non parcitis ſumptibus, dum quoque ſine cibo vivere valetis? Si jam numerus veſtrorum dierum determinatus eſt, & decretum Dei eſt infallibile, certè non moriemini: Mittite vos deorſum de feneſtra, ſclopeto ignito occurrite libenter, nec ulla vitate pericula? quia ſi nondum venit hora veſtra, nec vobis fatalis inſtat ſtatuta meta, cur mortem non venturam formidatis, & innoxia pericula contremiſcitis? replete ergo ventrem, obruite vos cibis, comedite opiparè, crapulamini ad ſatietatem, ſpernite medicinæ præcepta tanquam injuſta, & erronea, quia nimis per vos à germano veritatis ſenſu elongatur, quod plures occidit gula, quam

quam gladius, & quod omnes morbi Hipocratis oraculo à victus ratione gignuntur, & à ſpiritu nimirum aere, quo vivimus, & ei, qui parum edit, & parum bibit, nullum morbum ob id accidere.

Tace o Claudiane, qui doces, quod *vivitur exiguo longius*. Cur canis o Venuſine Vates: *Cœna deſurgat dubia, quin corpus onuſtum*. Cur ſtrepitas o Seneca contra intemperantiam: *Vide quantum rerum per unam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria terrarum, & innumerabiles eſſe morbos non miraberis.* Quid iterum reſonas: *Aſpice Culinas, & converſantes inter tot ignes coquos noſtros, unum quidem putas eſſe ventrem, cui tanto tumultu comparatur cibus, aſpice vinaria noſtra, & plena multorum ſæculorum vindemiis, unum putas videri ventrem, cui tot regiones vina clanduntur. Quidquid avium volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus;* quid ultra demonſtras, *quod multos morbos, multa fecerunt fercula?* quid oſtendis (mirantibus hominibus morborum numeroſam phalangem) tanti rationem eventus per illa verba, *Innumerabiles eſſe morbos miraris, coquos numera! Medicinæ neceſſitatem olim hominum intemperantia induxit, non coegit orbem medicinæ neceſſitate ætas aurea, ubi abſque Medicorum ope homines tranſierunt, medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur ſanguis; & vulnera coirent, deinde in hanc multiplicem pervenit varietatem?* Silete igitur, ſilete, nam induratum eſt cor helluonum, veſtra conſilia negligunt, fidemque nequaquam præſtant veſtris doctrinis, ad alias quidem rationes confugere expedit, ut eorum proterviam infringamus.

Dicite mihi quæsò o Paraſiti, quare legitur in Eccleſ. 37. *propter crapulam multi obierunt, qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam: In multis eſcis erit infir-*

mitas! Quare D. Paulus Timotheum ſuum vini potatione ſanat! & Deus Ezechiæ curationem per ficum fieri juſſit! ſi victus incuria non valet abbreviare vitam, ſi dierum conſtituti ſunt termini, ſi manet irrevocabile fatum? Cur, inquam, medicinam creavit Altiſſimus, ut abunde patet in ſacris litteris, quæ inſalubria cognoſcit, ac fugit, & ſalubria ſequitur? *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*, precipuè verificatur in vobis intemperatis, qui dediti gulæ, & crapulis contrahitis irremediabile vitium in ſanguine, ex quo brevi tempore moriemini, quod Deus prævidens, vobis ex hac mala vivendi norma conſtituit terminos, qui præteriri non poterunt, quod accidit, non quia Deus prænoſcit, ſed quia vos per errores in ſex rebus non naturalibus deſtruitis, ut ſupra jam diximus.

Siquidem Progenitor Deus humano corpori indidit certam quantitatem caloris nativi, ac humidi radicalis ad durationem determinatæ ætatis, eo non diſſimili modo, quo aliquis Herus dedit ſervo ſuo lucernam cum ſufficienti olei quantitate, ut ipſum illuminaret tota nocte, ac ſicuti eſt in poteſtate ſervi illius cuſtodiendi lampadem, ne afflante vento, aut olei decidentia, & conſumptione extinguatur; & ę contra ejus eſſet negligentia oleum perdendi, flammamque extinguendi: Ita à pari in homine accidit, qui erroribus in ſex rebus non naturalibus, cibiſque noxiis, ac inſalubribus valet accelerare vitam, viceverſa recto vitæ regimine, cibiſque ſalubribus uſque ad ſuum terminum naturalem una cum vita calorem nativum, & humidum radicale manutenere in corpore ſano.

Si ulterius Medicinæ contemptores parvipendant remedia, adductiſque rationibus fidem derogent,

gent, pergant quæsò ad Sylvas, & quæ à mea rudi Minerva noluerunt intelligere, ab irrationalibus ipſis intelligant: Hyrundo etenim cum Cœlidonia morboſos natorum oculos curat; Palumbus, Pernix, & Grù contra vexantes Infirmitates in edendis foliis lauri, medelam inveniunt; Cervus cum dictamo à vulneribus extrahit ferrum; Muſtella poſtquam in vorando ſerpentes, ictu venenoſo demorſa remanſit, tanquam ad ſacram anchoram confugit ad rutam; Serpens in ſanando oculorum morbos recurrit ad Maratrum; Leo carnem Vulpis devorando, languores propellit; Leopardus in vitalibus languoribus caprinum ſanguinem ſugit; Aper ægrotans hederam manducat; Urſus cum formicis amiſſam ſalutem recuperat; Ciconia cum origano vulnera ſanat; Bufo cum vipera dimicans, mutuo ſe invicem edendi deſiderio, anthidotum in plantagine reperit; & alia multa animalia, quæ brevitatis cauſa ſilentio involvo, medelas ſibi proprias in morbis adaptant; & Animal homo rationale centuplo nobilior, & animantibus cæteris major ſalubri medicina carebit? Certè non hujus reprobæ opinionis fuerunt tot in orbe terrarum excelſi Viri Pontifices, Imperatores, Reges, Cardinales, & Sancti jam antea recenſiti, qui remis, veliſque operam dederunt, huic medicinæ pretioſæ Margaritæ inveniendæ, eamque ſummis laudibus collaudarunt, tanquam Divini Numinis ingens beneficium; *Pharmaca* itaque, ut ajebat Herophilus apud Galenum de compoſ. pharm. *Si quis rectè illis uſus fuerit, auxiliares ſunt Deorum manus*, quapropter rationabiliter præcipitur in Sacris paginis: *In infirmitatibus tuis da locum Medico, quoniam omnia opera ejus ſunt neceſſaria.*

Et undenam vituperare fas erit o recenſiti De-

tractores, medicinam neceſſitatis; non verò ut cæteræ ſcientiæ delectationis, & lucri filiam? dum medicina eſt illa, quæ aſſiduè verſatur in contemplatione omnium naturæ entium, inter quæ nobiliſſimum omnium eſt homo, cujus mirabile ædificium divinis manibus formatum cognoſcit, contemplatur, & permanentiam diu durabilem curat, nec illi voluptatem caducam, & ſuperfluam, ut Pictura, Muſica, Poëſis largitur, nec bona fortunæ inconſtantia, uti Juriſprudentia, ſed corporis ſalutem totius boni in hac vita fundamentum affert, imitans naturæ Authorem, cujus ſolius eſt, vitam præſtare, quamobrem ajebat Cicero Pater Romanæ eloquentiæ: *Homines ad Deos nulla re propitius accedunt, quam ſalutem hominibus dando.*

Clamant pro medicinæ defenſione tot miſerorum mortalium ſanati languores, tot conſolidata vulnera, tot cruciantes febres propulſæ, tot ſedati dolores: Et re vera medicinæ fundamenta, ſi antedicta maturò conſilio contemplentur, adeò firma, & ſolida ſunt, ut paucæ ſcientiæ hujuſmodi gaudeant firmitate. Juris etenim prudentia, quæ præ cæteris medicinæ palmam contendere videtur, fundata eſt ſuper legibus, quæ ſunt mutabiles uti hominum voluntas, nam *quod Principi placuit, legis habet vigorem* Inſtit. Imper., quæ dicitur mutabilis, & ambulativa uſque ad mortem, unde nulla certitudo, nulla firmitas in decretis, in ſententijs, & quæ unus judicat Judex, alter reponit, & tandem tot homines, tot ſententiæ, cum nulla lex, nulla deciſio, nullus adſit textus, qui millenas à Juriſconſultis non recipiat explicationes in præjudicium tot pauperum litigantium, propter quod Cornelius Tacitus 4. annalium ſcriptum reliquit: *Ut antea flagitiis, ita nunc legibus laboratur.*

Theo-

Theologia ipſa, quæ eſt ſumma omnium ſcientiarum Regina plena eſt diſputationibus, quæſtionibus, ſpeculationibus, ſic moralis, logica, & penè tota philoſophia annituntur humanæ rationi, quæ ita fallax, & vaga, ut omnis intellectus differenter intelligat, & narrat Divus Auguſtinus, Marcum Varronem numeraſſe bis centum octoginta octo philoſophorum ſectas. Sed tandem debitus ſit honor, & laus ſingulis ſcientiis, quas indiſcriminatim ſumma veneratione colo; nihilominus ſi quoad honores jam præcedere vidimus medicinam neceſſitatis inventum, ità quo ad fundamenta etiam cæteræ ſcientiæ in ejus conſpectu debent conticeſcere, & locum habere aurea Quintiliani verba dicentis: *Sit Philoſophia res ſumma, ad paucos pertinet, ſit eloquentia res admirabilis, non pluribus prodeſt, quàm nocet: ſola eſt Medicina, Qua opus eſt omnibus.*

Sola Medicina dogmatica rationalis non rationis dumtaxat contenta baſim ponit ſuper experientiæ ſoliditate, quæ utpotè rerum magiſtra tutior videtur eſſe via Templum veritatis adeundi. Nec eſt ſcientia illuſiva homines decipiens, ut Critici garriunt, quia illuſio hæc generalis minimè perdurare potuiſſet tot ſæculorum longo decurſu: Veritas enim filia temporis dentibus voracibus marmora, & æra corrodens, velum hujus mendacii dilaceraſſet jamdudum: Cum ergo non obſtantibus magna calumniatorum catherva, & invidia in ſuo luſtro per tot ſæcula permanſerit, arguitur eſſe ſcientiam ſubſiſtentem, duobus pedibus erectam, ratione nimirum, & experientia.

Si quidem ſi eſſet inſubſiſtens, haud recognoſceret creationem à Deo, & ſubſiſtentiam in Sacris paginis, nec tot Sancti Doctores à Divino Spiritu illuſtrati medicinam ſequuti eſſent, ut ſatis abundè

in antecedenti firmatum eſt; quapropter D. Th. in com. in 1. ad Thim. cap. 5. in noſtri aſſerti comprobationem docuit: *Sanabat Paulus infirmos, & mortuos ſuſcitabat, & tamen Thimotheum curat conſilio medicinæ,* quæ niſi ſubſiſteret, conſequentiam afferret D. Thomam, & D. Paulum Spiritus Sancti tubam ſe fuiſſe deceptos, quod cum erroneum ſit aſſerere, magna mihi videtur eſſe dementia Criticorum, qui Divi Pauli ad inſtar miraculorum dono carentes, hujus ſalutaris doctrinæ medicinales regulas contemnunt. Forſan ne licitum erit, febrienti cum ingenti ſiti vinum meracum ſiracuſanum, aquamvitæ propinare, ægroti languentis craſſis, crudiſque dapibus ſtomachum onerare, ac violentia medicamenta exhibere? Lethargico opium propinare, ptiſico ſanguinem mittere, tenello puero potentia carthartica præſcribere, ac ſine ulla methodo, ſine medicinæ lumine, ac ope caſualiter omnia in ægrotantium excidium peragere? Heu cæcutientes medicinæ maledici, ceu Talpæ lumine capti!

Rurſus proclamant contradictores nullam in hac Apollinis arte certitudinem adeſſe, verumtamen toto Cœlo aberrant, ex eo quia medicinæ certitudo reperitur in tot chirurgicis operationibus ſanandi vulnera, fracta oſſa conſolidandi, membra luxata reponendi, in tot pharmacorum compoſitionibus, in tot anathomicis adminiſtrationibus, in tot denique vegetabilium, plantarum, mineralium, animaliumque cognitionibus; quid amplius certè medicina noſcit tot medicamenta purgantia, ac in illis diſtinguit majorem, & minorem purgandi energiam, tot medicamenta alexipharmaca, cordialia, diaphoretica, diuretica, reſolventia, emollientia, quæ omnia arguunt veram, & realem ipſius certitudinem. Num in medendo

dendo tantummodo nihil adeſſe certum, autumant maledici? erit hic error pejor priori, ſiquidem quotidie experimur ſanguinis miſſione febres, ac inflammationes miteſcere, clyſteribus, balneis, & oleis colicæ tormina mulceri, anthidotos venenis reſiſtere, pulvere perviano febres intermittentes fugari, ligno ſancto, & Mercurio venereos morbos repelli, Mercurio lumbricos necari, Maniacos canfora ſanari, caſtoreo lethargicos expergiſci, catharticis corpus purgari, ſomnum opiatis conciliari, diureticis tandem, ac diaphoreticis tempeſtivè propinatis ſudorem, & urinam expelli &c. & per conſequens negare certitudinem in medicina, eſt apertè experientiæ, ac veritati contradicere, & quod ignorant vituperare.

Arguunt denique, ſi medicina his gaudet prærogativis, cur Medicorum tam crebra errata, cur tam frequentes hallucinationes? Reſpondemus, quia,

Facit ſe Medicum quiſque Idiota, Profanus,
Judæus, Monachus, Hiſtrio, Tonſor, Anus.

Cum quibus ſi adnumeres multos inexpertos, indoctoſque Medicos, nec non illos morbos, qui ſunt per ſe incurabiles, vel à Judice Divino immittuntur in pœnam ſcelerum, nil mirum, ſi quotidie fiat clamor in Populo de Medicorum homicidiis.

Dari autem multos morbos incurabiles à Deo immiſſos, luculenta teſtimonia habentur in Sacris paginis. Ita enim Rex Joram 2. Paralyp. propter impietatem cordis ſui fluxu ventris incurabili conflictatus fuit uſque ad mortem, David 2. Regum cap. 24. propter ſcelera una cum Populo ſçva peſte vexatus fuit. Jezi propter avaritiam lepra coopertus fuit. 4. Reg. 5. Alcimus, dum ſe parabat ad deſtructionem Jeruſalem, paralyſi univerſali

fuit correptus. 1. Machab. 9. Antiochus flagellatus fuit à Deo incurabili plaga. 2. Mac. 9. Aſa ægrotavit pedum dolore vehementiſſimo, nec potuit à Medicis curari, quia non quæſivit Dominum in infirmitate ſua. 2. Paral. 16. Quapropter aliquoties legitimam prudens Medicus habet excuſationem, ſi multos ægrotos ad ſanitatem non perducit, dum *non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum*, Prov. 2.

Cæterum veri, doctique Medici hypocratici, qui ſedulò arcana naturæ rimantur, qui ſpecifica poſſident remedia, multorum ægrotantium obſervationes callent, ac diligenter libros Medicos conſulunt, rarò errare illos continget, niſi illorum, qui à morbo victi ſunt, curationem aggrediantur, vel morbos à Deo inflictos curare acciderit; vel niſi in medio curationis, vel fine, dum natura parat Criſim, ſuperveniat Chimicus cum medicina univerſali, ſive Muliercula, vel Monachus cum ſecretis, & ægrotum inopinanter de medio tollat.

Idcircò in eligendis Medicis ab hujuſmodi Veſpertilionibus cavendum, qui verbis curant, medicinis verò interimunt; ac pro bono Reipublicæ hæc civium lues ad triremes eſſet releganda, verumtamen proh dolor! per jactantias, per mendacia fidem ſibi per vulgum conciliant, quamobrem ludunt de corio humano, mortalium animas negotiantur, illiſque ſolis occidere ſumma impunitas eſt: vnde jure merito Plinius lib. 29. proem. contra hanc perniciosam hominum credulitatem exclamavit: *In hac artium ſola evenit. ut unicuique Medico ſe profeſſo ſtatim credatur; cum ſit periculum in nullo mendacio majus*.

Sic etiam ut Medici minus errent, perpendendum primò, an in illis adſint conditiones ab Hipo-

pocrate præceptore noſtro adnotatæ in lib. de Medic. ſcilicet: *Crebrò ægrum inviſe, diligentem curationem adhibeas*: & lib. de decent. ornat. repetit: *Ingreſſu utatur frequenter, viſitet diligentius*: Undè Medici illi, qui cuncta Civitatis valetudinaria amplectuntur, & de mane uſque ad veſperam ſine ulla in libris legendis interquieſcentia circuunt civitatem totam, pro curandis ægrotis, certè deficiunt in hac boni Medici conditione; *crebrò ægrum viſendi, & diligentem adhibendi conſiderationem*; hinc ſæpè accidit in ægrotorum perniciem, ut pluribus intenti minor ſit ad ſingula ſenſus.

Secundò, Hipocrates lib. de decent. ornat. ait: *Neque cum imperitis multa fabulentur, ſed neceſſaria*; ita Medici, qui majori eloquentiæ ſtudio, quam naturæ ſecretis operam navant, valdè diſſonant à Præceptoris regulis, ac jure optimo incidunt ſub Pettrarchæ cenſura lib. 5. epiſt. 4. *Medico in ore multus Cicero, multus Seneca, multuſque Virgilius, & neſcio qua mentis furia, & ægritudine accidat, ut omnia melius ſciant, quam unum, quod profeſſi ſunt*. Sit ergo rethorica ornamentum acceſſorium in Medico, non verò principale, nam multiloquia rarò errorum expertia, & Seneca monet. *Medicus ad ægrum venit non ut Concionator, ſed ut ſanet*.

Tertiò, Hipocrates in lib. de Art. docet: *Ea, quæ ab aliis inventa ſunt inhoneſtis, artificioſis verbis lædere, non ſcientiæ, ſed petulantis naturæ, & ignorantiæ indicium eſt: quæ enim à doctis, & peritis inventa ſunt, imperiti calumniari ſolent*: Quapropter multi in republica medica non ſine gravi ægrotantium damno haud dignantur proſpicere novas Juniorum medelas, & inventa, quin immò animo adverſo conviciantur, quaſi ultrà ea, quæ in pubertate à Præceptoribus ſuis intellexerunt, tranſcendere non

liceat,

liceat, illoſque pudeat novas fateri, ac experiri doctrinas, contra quos optimè congruit Horatii ſatyra; *Vel quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, dicunt, vel quia turpe putant, parere minoribus, & quæ imberbes didiſcere, ſenes perdenda fateri*. Boni igitur Medici officium erit tam Seniores, quam Juniores conſulere Authores, ac ex illis eligere bonum, & reprobare malum.

Quartò, Hipocrates ſcriptum humiliter reliquit. *Ego etiamſi ſenex ſim, adhuc ad finem artis non perveni*, ne barbati medicinæ ſeniores, ſe mediante barba adeptos fuiſſe doctrinæ medicæ complementum, ſupponant, idcircò poſſe juvenes Medicos poſtponere, & contemnere, etenim imberbis Medicus acriori ſtudio, judicio, & diligentia poterit Medicos Senes, & doctos adæquare, & interdum antecellere; barba ſiquidem doctiores non reddit homines, alias quis doctior capronibus, & hircis, unde cecinit ille Poëta:

Si quem barbatum faciat ſua barba beatum,
Nullus in hoc Circo queat eſſe beatior hirco.

Quamobrem famigeratiſſima eſt hiſtoria Ducis generalis Caroli V. qui barbatus ſpernebat Franciſcum Borbonem imberbem indignum, quò cum ipſo dimicaret; ſed poſtquam ſtrenuus, & fortis Juvenis peſſumdedit hoſtilem exercitum, Victor reſponſum remiſit, apud ſuam Nationem barbas non incidere, neque bellare, ſed ſolum enſes; eadem paræmia in morbis ſanandis, nihil agit Medici barba, niſi prudens judicium, & doctrina aſſideat.

Quintò, Denique Hipocrates de Medico ita loquutus eſt. *Videat ut bono colore, ac bona carnoſa corporis habitudine præditus ſit; Vulgus enim exiſtimat eos, qui non ſic benè diſpoſitum corpus habent, neque aliis benè proſpicere poſſe*. Undè videntur ſanè mihi lan-

languidi, & infirmi Medici, vix poſſe audere, ſe ut bonos Medicos qualificare, & de infirmis ad ſanitatem reſtitutis jactantiam proferre, nam ſtatim in facie, & in morboſo corpore mendacium legitur, ne igitur infirmi cum artis dedecore increpent illis: *Medice cura te ipſum*, idoneis remediis bonum ſibi prius concilient colorem, ac bonam carnoſam corporis habitudinem, ac indè ad ſanandos ægrotos ſe accingant.

His igitur Hipocraticis conditionibus per bonos Medicos adimpletis, ſi in ægris ſanitas non ſuccedat, Criticis in mentem veniat, homines eſſe mortales, & inevitabile mortis tributum non eſſe in Medico tollere, ſed tantummodo conamina dirigere, ut protrahat, concludendo cum Seneca lib. 7. de ben. *Medicus, ſi omnia fecit, ut ſanaret, peregit partes ſuas.*

ANATOMIAE
NUNQUAM TAM ADEO LAUDATÆ
ELOGIUM,

In quo omnia ſublunaria, omneſque ſcientias per Anatomem contineri, & contemplari, demonſtratur.

ET cuinam Æſculapii Templum ingredi fas erit, ſi cultro anatomico orbatus, remis, claviſque caret ad vitæ naviculam ducendam per immenſum malorum Oceanum? Unde nam morborum Scyllam,

lam, & Charibdim vitare poterit, ſi tanquam imperitus Nauta crebrò naufragium patietur inter malorum Scopulos, & Syrtes ſine anatomico lumine? Culter anatomicus eſt ille, qui corporis latibula perquirit, viſcerum reconditos uſus patefacit, corpus undique explorat, & quæ crudelis Atrops mortalitatis ſemina conſeruit, anatomiæ ope profligantur, divelluntur: Ipſa inquam anatomes veri fidiſſima Dux facem porrigit Medico, ut mortis cuniculos detegat, machinamenta deſtruat, ac morte tandem triumphata, glorioſa ſalutis referat trophea.

Ipſius lumine ex Pandoræ urna proſilientes morbi profligantur, triumphantis necis vexilla eripiuntur, & ferè cadavereſcentes homines ad ſanitatis auram revocantur. Sileant itaque in perpetuum Moroſphori illi Empirici, qui Antabattarum more per obſcuros medicinæ calles perambulant, immenſum Medicinæ Pelagum navigant ſine anatomiæ cinoſura, incerti petendi ſalutiferum portum, errabundi ſine methodo, & ratione, ſine Duce, ſine luce, nil aliud peragunt, quam quod perageret cœca fortuna, fortuitus caſus.

Non hæc nobis præcepta dederunt præclariſſima medicinæ lumina Hipocrates, & Galenus, nam primus in libro de homine monet: *Natura corporis principium ſermonis in Arte Medica*, quaſi ut habeatur balbutiens infans Medicus ille, qui veram corporis ſtructuram, & naturam ignoret, & loqui de arte Medica nequeat, dum principium ſermonis eſt ipſa corporis compages diſtincta per tot viſcera, & glandulas humorum ſecretionem peragentia. Galenus verò de compoſitione medicamentorum per gen. reſonat: *Videntur in hujuſmodi affectionum curationibus anatomes imperiti ſimiles iis, qui*

iter

iter in lectica cæci faciunt, eoque vehementer errant, & in principio Conſt. Art. æqualem facit Medicum fabrimurario domuum, qui cognoſcere debet omnes partes ſecundum ſubſtantiam, figuram, ſitum, & connexionem, ut pulcra emergat conſtructio, ita pariter Medicus omnes exactè corporis partes, illarumque functiones dignoſcere debet, ut receſſum à ſanitate, & bona craſi contempletur, manuſque porrigat auxiliares, reducendi gratia ægrum ad primævum ſanitatis ſtatum.

Ob hanc igitur rationem perarduum direxit iter Alexandriam verſus, quò continuò Simias mactaret, quarum analogiſmo cum homine humanam corporis fabricam exactiſſimè detegeret, propterea ſcripſit tot libros de adminiſt. anatom. de diſſect. ner. arter. muſculor. de oſſibus, de uſu partium, tot de placit. Hipoc. & Plat. quorum dimidia pars (teſte Veſalio) à nobis miſerabili fato ſubtracta eſt. Hùc ergo adeſte Galenici Medici, qui otio marceſcentes, galenicum jactatis nomen, immenſoſque illius labores recuſatis; En vobis ipſe, tanquam Alexander ad ſuos milites, exclamat, *aut nomen muta, aut opera fac Galeni.*

Hujus ſtimulo perciti tot orbis terrarum ſapientiſſimi Viri in illuſtranda anatome, & novis inventis addendis multum inſudarunt. Teſtis ſit nobis in Dania Bartolinus, in Anglia Gliſſonius, VVilliſius, Higmorus, Carlettonus, Vartonus, in Batavia Bilſius, Silvius, Barbetta, in Gallia Pecquetus, Mentelius. In Italia Fracaſſatus, Bellinus, doctiſſimuſque Malpighius, & hic Romæ totius Orbis compendii non ſine veneratione inter cæteros nominandi Excellentiſſimi in Archiliceo Sapientiæ Romanæ olim anatomiæ Lectores Lanciſius, Manfredus, & Trullius meus humaniſſimus Præcep-

Et re vera quis in anatome exercenda, ſuccenſus eſſe non debet, dum corpus humanum cultro anatomico inveſtigans, compendium magni Terrarum Orbis præ manibus habet, & omnium ſcientiarum in hoc uno particeps evadit, ita Rupertus Abbas tom. 2. ſuper Geneſim, in eo contineri, ait, eſſentiam rerum omnium ſub firmamento, & Galenus lib de fœtus format. cap. 9. inquit: *Melius eſt ſcire humani corporis conſtitutionem, quam mundi totius fabricam*, & ut hanc analogiam humanarum rerum cum humano corpore aliquatenus delibemus, & à ſummis ad ima procedamus: Contemplare quesò primum-mobile, quod eſt in continuo motu, illudque æquipara cum humano capite, in quo ſenſus, & cogitationes continuò moventur, ut tota cœleſtis sfera videatur, cœlumque in ipſo ſi tuis oculis ſubjicere cupis, reſpice medulloſam, & albicantem cerebri ſubſtantiam ſpiritibus animalibus tanquam corruſcantibus aſtris exornatam, influunt ſuo lumine in terra ſydera, influunt quoque in corpore ſpiritus animales motum, & ſenſum, ſi figuræ rotundæ, ac ſfericæ exiſtit cœlum, sfericum eſt quoque eaput, ſi illud in ſublimitate poſitum, ita & caput. Si elementorum quatrigam ideatam in corpore proſpicere libet, en tibi aer in pulmonibus, ignis in corde, aqua in fluidis, terra in ventriculo, qui cunctis partibus alimenta miniſtrat, phraſis eſt Hipocratis dicentis: *Qualis terra arboribus, talis venter hominibus*, vel calor nativus repræſentat ignem, ſpiritus aerem, humores aquam, ſolida oſſa terram.

Si ab elementis producta reſpiciendi incenſus arrideat animus, prominentiæ oſſium humani corporis montes præmonſtrant: amplitudo, & planities hepatis convalles: venarum & arteriarum am-

ambitus flumina: oculorum lacrymæ fontes deſignant: cavitates corporis ſpeluncas, & antra: capilli, & pili herbarum genus: ignitas Meteoras, & Mongibellos indigitant febres ardentes, cauſi, phrenitides, inflammationes: fluxum verò, & refluxum maris ſanguinis per corpus meantis, & remeantis circulatio.

Præterea ſi te cupiditas teneat lapidum colores, & analogias in homine perſcrutandi, contemplare in oculo ſimplicem colorem vitreum, ſeu criſtallinum oculo, & adamanti correſpondentem, deinde cœruleum zaphiro, & oculo, aureum topatio, & oculo, cæteroſque mixtos, & varicolores emicantes in oculo, & aliis lapidibus. Sic Rubini, & Coralla inſunt labiis, alabaſtrum cuti, gemmæ purpureæ linguæ, dentibus albæ.

Si plantarum rimaris naturam, analogant capilli capitis cum Capilvenere, & adianto, aliiſque herbis capillaribus, ſic pulmones cum pulmonaria, farfara, & tuſſilagine, cor in cedro, caput in papavere, & nucibus, hepar in hepatica, lien in aſpleno, & lingua cervina, teſtes cum ſatyrionibus, & aliæ aliis, ut in aperto analogiſmo ingenioſus Lector comparare poterit.

Nec ſolummodò in his anatomizati corporis beneficio avidus paſcitur animus, ſed tranſit ulterius ad omnium ſcientiarum cognitionem, nec paradoxum videatur lectori, dum ſtrictè me accingo ad probationem. Nam ſi te mechanices deleciat, mechanicas obſervare licet in corpore ſtructuras, delineationes, & uſus, ſi mathamaticæ exiſtis amator, ipſum corpus erit ſubjectum diviſum in quantitates continuas, & diſcretas, adeſt numerus, linea, ſuperficies, & corpus; quod cognoſcens magnus Hipocrates dixit: *Oportet Medicum eſſe Geometram*,

tram, ita ut per anatomem cognitam geometra fiat Medicus.

Chemiam ſi colis ex bilis, urinæ, ſalivæ, ſpirituumque ſeparatione, illam addiſces, fornax erit ſtomachus, vaſa recipientia inteſtina, cor, & cerebrum: De Phyſica non loquor, quia verum naturæ theatrum eſt humanum corpus, & vulgare eſt.

Vis ad altiores ſublimari ſcientias, nimirum ad Coſmographiam, quæ eſt ſcientia de ſferæ mundi dimenſione, ne diſcedas ab humano corpore, quod omnium Eruditorum oraculo parvus mundus appellatur: Ad hydromantiam, ſit tibi urinaria veſſica Oceanum trans Americam: Cor, & Hepar Oceanum in America: appenſa Ciſtis ſit Mediteraneum ex Oceano veluti pendulum. tot tandem glandulæ, & vaſa lymphatica ſunt veluti paludes, & fluvii in Orbe fluentes: tot flatus rugientes ſunt venti, qui tempeſtates promovent.

Si tandem ad Theologiam, quæ eſt ſumma hujus vitæ ſapientia, ſcientia, & prudentia perveniendi ad Summum Bonum, manus tibi porrigit anatomes humani corporis adeò admirabili ſimetria fabrefacti, ut Ethnicos ipſos concitet ad exclamandum non fortuitum; ſed Divinum eſſe opificium, Deique optimi maximi architecturam.

Quid ulterius? placet tibi aliquantiſper inter antiquitatis monumenta reficere animum? non hoc ſolatium in anatome deficit, quippè Ariſtoteles vocavit noſtrum intellectum antiquiſſimum, & immortalem in animato corpore reſidentem, ac per renovatas prolis ſucceſſiones nunquam defutura antiquitas manutenetur: Nec ut mea fert opinio quicquam antiquius, & admirabilius extitit, quam Salomonis admirabile Templum, quod vel hu-

humanæ fabricæ fuit exemplar, vel ipſa humana fabrica prototypum dedit, ac ut lydio lapide aſſumptum probatum remaneat, hæc auribus percipe Lector.

Templum Salomonis ſine malleorum ſtrepitu peractum fuiſſe legitur; & quis conſcius non eſt, hominem tum in ſupernaturali creatione à Deo, tum in ſui naturali generatione in alto cauſarum ſilentio produci ſine ſonu, ſine ſtrepitu? Si dicti Templi Altare fuit in medio Templi locatum, ita & Cor in medio pectore ſitum eſt, & ſi juxta Altare ibi erant duo Cherubin alati, eodem modo circa Cor duo pulmones aſſiduò ventilantes. Si Templi Altare vas aquæ circum circa habebat, quod ab Hebreis Mare fuſile vocabatur, ita & Cordis emporium incluſum eſt in pericardio aqua pleno, in quo perpetuo innatat. Si Templi Salomonis omnia corruſcabant auro, ſic omnes corporis partes ſpiritibus irradiantur. Quod ſi in Templo candelabrum erat ſeptem lucernas in ſe continens, ita in homine ſenſitivum principium continetur, quod quinque ſenſus exteriores continet, ac duos interiores, phantaſiam nimirum, & ſenſum communem, qui tanquam lucernæ res cunctas homini ſenſibiles manifeſtas faciunt. Denique ſi Templi parietes variis cœlaturis erant ornati, pariter in homine varias aſteriſmorum figuras cognoſcunt Phiſiognomi, & Chiromantici in manibus præcipuè, Chiromantiæ ſubjecto.

Denique ne tædioſus fiam, ſolummodò ſubnectam, quod ex hoc anatomico libro omnium ſcientiarum magiſtro etiam futura prævidere nimis curioſi, ideò ſceleſti, tentarunt Viri. Accedat huc impius Heliogabalus, portentum illud crudeliſſimum humani generis, hic, referente Peucerio,

Author primus extitit Antropomantiæ, ex qua futurarum rerum conjectionem ex mactatorum hominum viſceribus prætendebat, hanc peſſimam divinandi artem, exindè ſequutus fuit Julianus Apoſtata, quando, Fide Chriſtiana relicta, Ethnicis ſacris, & Dœmonum invocandis deteſtationibus ſe addixit. Quare de glorioſa corporis humani anatome hoc Epitaffium poteſt inſcribi.

Publica naturæ domus bis contenta tenetur finibus,
Amplectens Pontum, terraſque jacentes.
Hæc eſt naturæ ſeries, ſic Orbis in Orbem vertitur,
Et Mundum Cœleſtis flamma coronat.

Oh vere pulcherrimum anatomiæ exercitium, quod inexplebilem hominum animum ſolum inter naturales ſcientias ſaturare potens es, oh vera cinoſura humanæ cupiditatis, in qua quidquid artium, quidquid ſcientiarum, quidquid amænitatis exoptat homo, reperire, cognoſcere, deſumere fas eſt.

Hic vobis proponitur ſpeculum, domicilium Divinæ Imaginis, in quo ſcintillant Divini amoris radii, in quo cuncta, quæ in ſe Orbis complectitur, & ſunt, & videntur, hic admirator factus inquirat quiſque, & intelligat, quis humanæ illius tam pulchræ Imaginis Conditor, quis oculorum Pictor extiterit, quis nares, & aures, quaſi tornatiles fabrefecerit, quis labia rubentibus roſis conveſtierit, quis nervos tetenderit, ac ligaverit, quis oſſa compegerit, ac ſolidaverit, quis carnem tenui pellicula circumtexerit, quis piramidalem impreſſerit cordi figuram, pulmonum fiſtulas ſculpſerit, quis Jecoris porrò ſtamina, & muſculorum fibras operuerit; quis denique decora, honeſtaque corporis membra humanis oculis objecerit, obſcena in obſcuro prorſus abdiderit, & cernentibus ſubtrahere voluerit.

O Ho-

O Homo, qui in anatome præcipuè contemplaris, naturæ miraculum, Divinum Animal honorandum, & adorandum, exclamabat Mercurius Triſmegitus in Aſclepiade cap. 3. Forſan quia maximum eſt terris ornamentum, ut D. Auguſtinus ait lib. 9. Geneſ. ad liter. cap. 9. Vel quia rationis capax, aut potiùs, quia beatitudinis particeps, omnium Epilogus, & mundi Hymeneus, ut Perſæ dicebant, ideò Dominus noſter Jeſus Chriſtus Euang. Marci 16. totalem univerſalitatem creati hominis cognoſcens in homine, dixit Apoſtolis: *Euntes in mundum univerſum prædicate Euangelium omni Creaturæ*, ideſt homini, inquit, Gregorius in homilia, quamvis omnia in mundo ſint Dei Creaturæ, in ſolo homine præfigurata, & ſpecificata.

O Anatomes artium pulcherrima, ſcientiarum naturalium ſcientia omnibus maximè utilis, pluribus apprimè neceſſaria, quandoquidem vani labores, improbum, ac temerarium illius ſtudium, inquit Joannes Picus, qui adhuc ſui ipſius ignarus eſt, & profectò à Sapientum Cœtu arcendus, & cui jure merito à Sponſa in Canticis dicatur: *Si te ignoras ò mulierum pulcherrima, egredere, & abi poſt veſtigia Gregum tuorum.*

Quid enim ridiculum magis, magiſque ineptum quærere, quæ ſunt extra nos, penituſque ſpernere, quæ in nobis infixa ſunt. Ob id ſapiens Socrates, Delphicum Oraculum, Divinus Plato, maximus Peripatus monebant: *noſce te ipſum*, & primus Anatomiæ ſedulus inventor Democritus, hac margarita precioſa inventa, abjecit omnia, & in hac Divinorum operum contemplatione perpetuò degens, homines alios deridebat.

Quid mirum igitur ſi inter infinitam Anatomicorum turbam ad has delicias tracti fuerunt Reges

Arabum, Ægyptiorumque, qui, ut refert Doctiſſimus Pariſanus in fine ſuarum ſubtilium exercitationum, ſuis manibus non ſolùm humana cadavera, ſed intima quoque viventium morti addictorum ferro penetrarunt, abditas alii morborum cauſas inveſtigantes, alii Divinam Sapientiam contemplantes.

Enarrent hujuſmodi encomia ter maximus ille Mercurius, nec non Salomon in ſuo Eccleſiaſte: Dicat Attalus Rex Pergami, Ponti, & Aſiæ Mitridates, Magnuſque Alexander, qui poſt innumeros relatos triumphos ſolius anatomiæ cognitionis, quam adeptus fuerat, recordatur, ac mentionem facit, ſui ipſius videlicet veri, ac ultimi triumphi. Dicant tandem, ut meminit idem Pariſanus, Flavus Boetius, Paulus Sergius, atque Marcus Antonius, Romani Conſules, & Imperatores, ut è multis paucos referam, qui diu ſub Galeno invigilarunt, ut ſe ipſos in ſe ipſis, ac totius Architectum agnoſcerent.

Et canentes receptui rectiùs conſilium ineuntes, melius dicamus, taceant Antiqui, Recentioreſque ſileant, ſileant & noſtrates ſapientes, Gallorum Druides, Græcorum Philoſophi, Indorum Gymnoſophiſtæ, Perſarum Magi, Ægyptiorum Sacerdotes, Hebrçorum Senedrin. Taceant Reges, Conſules, Imperatores, dum non ſolum hominum hæc ſunt munera, ſed partes Deorum: Enarrent anatomes, Medicinæque Dii, dicat Æſculapius, dicat Apollo: ſiquidem ad has honoris columnas Anatomes ipſa pervenit, ut non hominum contenta vocibus, Deorum, à quibus traxit originem, encomia, laudeſque requirat, & mihi non plus ultra præſcribat tam in gloriis enarrandis, quam in ſingulis corporis partibus, & uſibus deſcribendis,

dis, de quibus tot præclari Scriptores anathomici dixere.

S E R I E S
HUJUS NOSTRI OPERIS
COMPENDIARIA,

In qua nonnulli Recentiorum errores delibantur, Ariſtoteles commendatur, cæterorum Philoſophorum doctrina de hæreſi ſuſpecta obiter demonſtratur, eorumque audacia objurgatur.

MIrabitur quiſque, quod univerſo tacente Medicorum cœtu, ipſe cæteris audacior adverſus novas in Phyſica ſuſcitatas hæreſes, in ſacrarum litterarum ſinceritatem cuniculos molientes, venerandæ Ariſtotelicæ philoſophiæ, & Galenicæ medicinæ arietes admoventes, excidium, exterminiumque minitantes, arma ſumpſerim, & contra vaſtam tot Novatorum ſycophantomochamiam audeam in arenam prodire, manus conferre, arduas pro veritate diſceptationes ſuſcipere, teliſque Cavillatorum pectus objicere. Sed ſi ſedulò, & Chriſtiana mente benevolus Lector reflectat ad turpes opiniones, ad ſuſpectos in fide errores, qui impunè diffuſi craſſantur per opera Recentiorum Medicorum, non ad audaciam, ſed ad zelum Sanctæ Fidei, & ad gloriam ter Optimi Maximi Dei has meas lucubrationes refundet.

Jam mente concipio, ſublimia ingenia his

Novatorum paradoxis eſſe faſcinata, quæ nova hęc magno animorum pruritu hauſta haud perfunctoriè profiteantur, ipſe tamen fiducia bonæ cauſæ ſuſtentatus, Deique auxilio fretus ibo animis contra hanc novam inſcitiæ, barbariei ſectam, in qua jus eſt, quodcunque abſurdum, & à veritate ſacrarum litterarum alienum proferendi, defendendi, Divina, humanaque luxandi, evertendi, labefactandi, ac ſi nullum honeſtatis, & Religionis in Orbe litteratorum extaret veſtigium, ac ſumma impunitas eſſet, veterum philoſophiam cum Theologia contemnere. Nec quiſquam ſibi perſuaderi paſſus fuiſſet, quanta ſub tenui novitatum membrana deliteſcat lues contumelioſarum opinionum in Sacram Scripturam, indubitatam fidem, & phyſicæ conſtanter tot ſæculis aſſertæ veritatem.

In hac enim nova Medicorum Monarchia Ariſtoteles ignorantiſſimus paſſim nuncupatur, Galenus parabulanus, omnes eorum pediſſequi viri craſſæ Minervæ, Philoſophi elementares, & nullius doctrinæ, Theologia, Sacra Scriptura, fidiſſimæ veritatis Duces minorem æſtimationem habent, quam Carteſius, Democritus, Paracelſus, VVillis, Helmontius, hi per ipſos, novæ ſectæ Numina, & veritatis Oracula. In hac inquam Monarchia materia prima ſomnium, formæ antiquorum figmenta, & delirium; illic Paracelſus materiam primam quid increatum garrit, hic formæ per Sennertum, Sperlingerum cum proprio actu entitativo finguntur, illic Petrus Gaſſendus, & Carteſiani minimè parcunt generalibus Conciliis, & Sanctis Patribus, quia in explicatione Sacramentorum vocabulis nimis ipſis odioſis, materia ſcilicet, & forma uſi ſunt, jactabundi cum Carteſio, & Paracelſo novam velle dare linguam Theo-

Theologiæ, & Eccleſiæ, ineptè ſe jactant.

In hac ſecta quatuor rerum corpora elementa, quatuor figmenta nuncupantur, ſi vis inter ignobiles numerari Philoſophos, elementa pronuncia, ſi enim quatuor humores illis correſpondentes aſſignes, terque, quaterque te irrident; quippè elementorum loco ſubrogantur infinitæ particulæ diverſi generis figuræ, & magnitudinis nunc triangulares, modo oblongæ, modo rotundæ, prout illas fingit cogitatio; ſæpius inter componentia per ipſos inducitur Sal, Sulphur, Spiritus, Mercurius, AlKali, & acidum; & quamvis indubitatum ſit, quod primus Adam terræ colonus in agro Damaſceno ex limo terræ formatus fuerit, nequaquam ex tot particulis, ac juxta communem Sacræ Scripturæ Interpretum opinionem, (ut ſuo loco lucuentiùs probabo) ex quatuor elementis, nos verò quo ad corpus ex primo Parente traduces, iiſdem conglomeremur elementis, nihilominus talia proferre in hac nova Medicorum Republica, eſt rudis ingenii propalatio.

Si de hominis generatione ſermonem inſtituas prima Parens Heva juxtà Conradum Pierum omnium hominum in teſticulis ovula habuit, ita ut hodiernis diebus muliebre ſemen mirabili methamorphoſi in ovula evaſerit, quibus à virili ſemine irradiatis, erumpat humanus fœtus ex ovulo, veluti pipians Pullus, & pedilenta Gallina, ad ejuſque formationem ſpeciali modo non intendit Deus, ut ſacra dogmata docent, ſed aut Author eſt determinatus ſpirituum motus, qui memoriam tenent habitos per corporis partes motus, ac juxtà impreſſam ideam humanam fabricam dirigunt, ut per Regium, & Carteſianos omnes.

Vel Author humanæ generationis eſt Anima ra-

tionalis communicata à Parente, ut hæreticat Sennertus: vel Archeus, ut ſentit Helmontius: vel ſpiritus mundi univerſalis, ut Petrus Joannes Fabrus. Vel integra automata continentur in muliebribus ovulis, ut Borellus cum multorum recentiorum turba; quin immò millies peſſimè hanc periodum claudunt Paracelſus, & Arnoldus de Villa nova, qui ex virili ſemine extra mulieris uterum in cucurbita poſito ſub ſimi calore homunculos fieri poſſe tradiderunt. O nefas, ò turpe, ò ſacrilegi Novatores.

Ulterius in hac recenti Litteratorum Accademia humana vita non pendet ab anima tanquam corporis forma, ſed à juſta, & æquali particularum ſanguinis commixtione, & unione, ut per Blancardum, & multos alios ſuo loco dicendos, nec ipſa Anima eſt principium motus juxta opinionem à Sanctis Patribus receptam, ſed capitis Meninges, & fibræ motrices, & Cor ſunt principes omnium partium motores, actus animæ per facultates deſignati jam exilium habuerunt in tribunali Recentiorum, nec amplius Anima ad mentem Divi Thomæ eſt omnium corporis actionum radicativum principium, ſed hodie ope, & vi mechanicæ corporis ſtructuræ una cum fermentis operationes peraguntur.

Animantia à Deo creata cum anima vivente reducuntur ad pura automata, ipſiſque Anima, non obſtante ſacra pagina, involatur. Ulterius ſicuti de omnibus formis peripateticis male ſentiunt Novatores, ita quoque de forma corporis humani ſubſtantiali, quam diviſibilem docet eſſe Sennertus, Etmulerus illam excludit à corporis miniſterio, & ab economia animalis, VVillis illam confundit, & componit cum flammea parte, Dolæus,

mul-

multique alii recentiores eam conjungunt cum Anima ſenſitiva, Helmontius tunc quando ad ecſtaſim ſe fingit, eſſe elevatum, memoriam, & voluntatem tradit, non eſſe de eſſentia ipſius Animæ rationalis, & alii multa alia abſurda ſuo loco dicenda, & rejicienda proponunt.

In rerum denique prima creatione juxtà Boyle., & Carteſianos magis operatus eſt motus, quam Sapientiſſimi Artificis voluntas, ita in ſucceſſiva productione otioſa reputatur Cauſa Prima, nunc natura ſupplet, ſales alKali, & acidum, fermentiſcibiles particulæ, ſal, ſulphur, Mercurius Deitatem occuparunt.

Accedite ergo Medicinæ Tyrones cum orthodoxæ Fidei face corruſcante ad Recentiorum volumina, ne verſipellis Dœmon ſub melle verborum alKhali, & acidi, ſulphuris, & Mercurii, ac blando verborum lenocinio particularum ſalinarum, acidarum, nitroſarum, volatilium &c. per eorum libros diffuſarum, vos ad amplectendas clancularias hæreſes, alliciat: Stratagema enim eſt aſtutiarum Principis ſub ſpecie novæ, & ſolidioris doctrinæ ſacræ paginæ, & Sanctis Patribus contrariȩ incautos ſapientes decipere, vobis ſint in exemplum Pittagoras, Empedocles, & Appollonius philoſophiæ cultores, quos Dœmon ad ſe colendum pellexit ſub ſapientiæ velamento, cujus moniti veritatem ſi magis perſpectam habere velitis, videte Nicolaum Remigium lib. 1. de Demolat. cap. 9. & Franciſcum Picum Mirandulanum de ludificat. Dœmon. dialog. 1. & claudendo periodum iterum moneo:

Callidus ò Pueri, fugite, hinc latet anguis in herba.

Cæterum omnia hæc ſpecioſa Novatorum dicteria à cimiteriis Democriti, & Epicuri reſurgunt, nihil-

nihilque aliud redolent, quam atomiſticam, & Carteſianam philoſophiam, nam particulæ, & atomi ſunt unum, & idem, vocanturque particulæ, quia atomorum ſententia de hæreſi ſuſpecta à Sancta Romana Eccleſia fuit damnata, animadvertente Spiritus Sancti aſſiſtentia, quod ſtricta eſt affinitas inter atomos, & ateiſmum, ita ut paulatim uniantur, donec atomus finiat in ateiſmum, & quicunque cupit eſſe Ateiſta, nullam aliam colere debet philoſophiam, quam atomos. Sic Comes Jo: Rochelter notorius Atheiſta in Anglia extremo ſuæ vitæ tempore, ut refert Robertus Parſon, pœnitens ſui erroris miſerabiliter, ſed fruſtra, exclamavit: *Stultam illam, & abſurdam philoſophiam, quam tantopere mundus admiratur, Authoribus Hobbio, aliiſque, ſe, alioſque optimæ indolis de Gente noſtra peſſum dediſſe*; hinc percipe Lector, quod fœlix eſt ille, quem faciunt aliena pericula cautum.

Neque ipſe Provinciam aſſumpſi, defendendi Philoſophorum Principis dogmata, ſat enim in peripatetico Archiliceo ejuſdem reſonant defenſiones, ſed quia hæc labes abſurdarum opinionum labefactavit, penè totam Medicam phyſicam, ideò ne ulterius contagium ſerpat, adverſus hujus novæ ſectæ Propugnatores calamum ſtrinxi, ſperans, quod adjutorio ſagaciorum virorum deleatur à conſpectu Sanctæ Romanæ Eccleſiæ hæc peſſima Novatorum litteratura; quò ſi pertingere non liceat, aſpiraſſe pulchrum eſt.

Sit itaque antemurale Sorbona, & Eccleſia Catholica Fidei columna, & veritatis cathedra; damnavit inquam Sorbona uti temerariam, erroneam, & hæreſi proximam Carteſianam hodie in ore totius Reipublicę medicę repullulantem opinionem,

quæ

quæ rejectis formis peripateticis, & facultatibus, (excepta rationali) totum reducit ad ſolam figuram, & ad motum: Prohibuit Sancta Romana Eccleſia, ne Chriſtifideles volumina Carteſii philoſophica legant, declarando ejus doctrinas maculatas, & de hæreſi ſuſpectas: Quid ergo tantopere celebratis ò recentiores Medici hujuſmodi farinæ Authores, qui nobis doctrinas pandunt ſacris dogmatibus, ac præcipuè Sacræ Geneſi contrarias?

Quamobrem ſicuti Peripateticum eſt omne ſtudium, ubi docentur Romanæ Eccleſiæ doctrinæ, ita Geneveníe, in quo Carteſiana explicantur philoſemata. Primum infallibilium veritatum Magiſter; ſecundum errorum, ac hæreſum Bucinator: Et quidem primum principium Carteſii de mole, ſive magnitudine, & corpore, ſub quibus nominibus nil aliud latere dicit, quam ſolam extenſionem in longum, latum, & profundum, repugnat fidei, quia ſi corpus eſt ſola extenſio, ponitur Divina ſubſtantia aut ad eſſe corpoream, aut non eſſe immenſam, nam aut ipſa non invenitur in omnibus ſpatiis præſens, & ita non poteſt dici immenſa, aut invenitur, & eſt diſtenſa, & conſequenter corporea cum corpus, ſeu moles per Carteſium nil aliud ſit, quam extenſio; quo poſito Carteſii, immò aſtuti Dœmonis principio, en conſurgit hæretica, & diabolica illatio, nimirum Chriſtus in Euchariſtia non retinet extenſionem, ergo in ipſa vel non moratur Chriſtus, aut ibi corpus non habet, cum corpus nihil aliud ſit, quam extenſio.

Hinc quoque habuit originem Origenis error, qui infinitos eſſe mundos aſſeruit, quia ſpatia imaginaria ultra omnes Cœlos à Philoſophis admiſſa per Carteſium, & Sect ores ſunt corpora vera, & realia, & conſequenter infinitus eſt mundus, ut ipſe

ipſe controvertere non videtur par. 2. philoſoph. num. 21. inquiêns: *Cognoſcimus hunc mundum ſive ſubſtantiæ corporeæ univerſitatem nullius extenſionis ſuæ finem habere*.

Quid dicam de figura, quæ utpotè accidentalis principii nomen non meretur, hæc inquam in corpore continuo, & ſolido ſine propria deſtructione ſtare nequit, in corpore fluido ſingulis momentis commota evaneſcit, & in atomis indiviſibilibus conſiderari nequit, cum figura ſit illa, quæ conſurgit ex varia partium quantitativarum diſpoſitione, quando indiviſibiles atomi partes non habent, ex quarum æquali diſtantia, & proportione figura emergere queat.

Quid tandem de motu, quem definivit eſſe translationem corporis à propinquitate corporum immediatè tangentium ad propinquitatem aliorum corporum, quæ definitio tantummodò explicat rationem motus localis, & tamen dantur alii motus, ſive corporis translationes, veluti Nauta de lictore ad lictus, de una ad aliam mundi plagam abſque ullo ipſius corporis motu, ſic aliquis tranſit à non cognoſcendo ad cognoſcendum, à non volendo ad volendum abſque ullo tranſitu de loco ad locum, minuſque veritati congruit unicam motus cauſam eſſe Deum, quam opinionem ineptiſſimam habet D. Thomas, ut quæ facit creatas ſubſtantias maſſam ineptam, & mortuam abſque ſpiritu intrinſecæ activitatis, ex qua quantum eſt poſſibile, aſſimilantur eorum Summo Factori; præterquamquod ſicut ſe habet de corpore, ita etiam de mente, quæ eſt mobilis de cogitatione ad cogitationem, & per conſequens de loco ad locum non movebitur, niſi à Deo, qui eſt unica ratio motus, liberumque ipſius arbitrium ad nihil valebit, triumphando in

hac

hac aſſertione Lutherus, qui ſentit tantum inſervire ad patiendum, minimè ad volendum, & intelligendum: Quą fortaſsè diabolica farina dealbatus noſtris diebus Molina docuit, homines more pecudum poſſe in voluptatibus tripudiare, ſolummodò elevata mente ad Deum ipſius motorem, & regulatorem. En ergo fructus ò recentiores Medici, en relati triumphi veſtræ prælaudatæ philoſophiæ. Undè vos optimè corrigit Divus Bernardus dicens: *Quærunt ſcientiam, & ſpernunt conſcientiam.*

Non erat Ariſtoteles, ò garuli Philoſophi, vir craſſæ Minervæ, ut ſomniatis, nam primi intellectus, qui illuſtrarunt Eccleſiam, & Mundum veluti Thomas Angelicus, Bonaventura Seraficus, Alexander irrefragabilis, Joannes ſubtilis, Tot, tantæque Aquilæ, & ingeniorum Phenices receperunt ejuſdem textus tanquam Canones, ejuſque ſententias tanquam oracula. Plato vocavit Ariſtotelem Accademiæ, & veritatis Philoſophum; Plutarcus omnium Philoſophorum illuſtriſſimum, & doctiſſimum; Suidas verum naturæ ſcribam; Marcus Tullius virum ſingulari ingenio, ac penè divino; Plinius virum immenſæ ſubtilitatis, ſummumque in omni doctrina; & demum unus D. Auguſtinus pro mille aliis, qui cum fuerit maximi ingenii, & optimæ cognitionis lib. 8. de Civit. cap. 12. in Ariſtotelis laudem concludit. *Ariſtoteles Platonis diſcipulus vir excellentis ingenii &c.* Nec facilè eſt, ipſum proſternere, irriti enim ſunt veſtri conatus, veſtrique latratus, nam veſtra objectionum ſpicula ſpernen s, ait cum Seneca, *cadam Orbe concuſſo.*

Immò Ariſtoteli tam licentiosè in omnibus contradicere, eſt malè de Sancta Romana Eccleſia ſentire, quæ, ut notat Benedictus Aretinus in tertia littera apologetica, pluribus in locis philoſophiam Ari-

Ariſtotelis confirmavit, non intelligo quoad omnes partes; nam in aliquibus haud caret erroribus, ſed veluti Deus præcepit Hebreis, ut mulieres gentiles captivas in uxorem non haberent, niſi raſis capillis, & unguibus; ità pariter hæc philoſophia profana ſpoliata omni vanitate, & falſitate, introducta fuit ad Sanctuaria, ut teſtatur Origenes.

Quapropter Ariſtoteli tam univerſaliter contradicere, eſt hæreticis adhærere, unus pro omnibus ſit Martinus Lutherus, qui eodem dente, quo Sanctam Romanam Eccleſiam, & Theologorum doctrinam momordit pariter Ariſtotelem, illum vocando Proteum, & hiſtrionem, qui græca dictione deluſit Eccleſiam, Calumniatorem, Cerberum trium capitum, Gerionem trium corporum, ac deſtructorem piæ doctrinæ, quas abſurdas cantilenas nuperrimè cecinit Helmontius cum nova recentiorum caterva, qui vale dicendo philoſophiæ peripateticæ, aſſeruit, eſſe contra Sanctos Patres, inſubſiſtentem, & ridiculam. Verum enim verò hujuſmodi Zoili detractores habent temeritatem pro ingenio, vilipendium pro ratione, linguam pro mente, & gloriantur in illis, quę non licet homini loqui.

Oh utinam una mens eſſet Orbis Imperatorum, ac Regum, quam habuerunt Ludovicus XI., & Franciſcus I. duo Francorum prudentiſſimi Reges, qui animo captantes, quam pernicioſa, & deteſtabilis ſit novitas, & philoſophandi libertas, exterminarunt à Pariſiorum Scholis nominalium ſectam à Guglielmo Occamo renovatam, & doctrinam, & magiſterium Petri Rami, qui ſua temeritate non ſolum non pepercit Ariſtoteli, ſed neque Euclidi, Ciceroni, Galeno, aliiſque optimæ notæ Authoribus; & bonam præfatorum Regum reſolutionem infelix amborum exitus comprobavit, dum primus ini-

inimicus Eccleſiæ conſpiravit contra Pontificem Joannem XXII. cum ſciſmatico Ludovico, ho tans eum, ut ſe armis defenderet, dum ipſe, eur calamo defendere, promittebat. Secundus ver conſceleravit calamum, protegendo quatuor librorum Calvini dogmata, donec inde mens à boni alienata irruet et in pejora, approbando omnes Galvini hæreſes, ex quo accidit, ut Divina tactus vindicta ignominioſam paſſus fuerit mortem in famoſo Macello Pariſiorum, dignus certè, ut annumeretur à Beza inter martyres Calvini.

Qui porrò immortales utinam fuiſſent Reges, nam exindè haud auſus eſſet Donatus Roſſettus in Antignome phyſico Mathematico dialogo primo proponere, ſenſus externos amplius non eſſe quinque, ut communis omnium Doctorum à Sancta Romana Eccleſi recepta, & confirmata in adminiſtratione Sacramenti Olei Sancti tenet opinio, ſed eſſe undecim, addendo ad ſenſum tactus aſſimilatum, tentatum, menſuratum, inſinuatum &c. per nonnullas ſubtiliſſimas ratiunculas, quarum inſuper ſuffragiis prætendit, nos nunquam poſſe decipi à ſenſibus noſtris, ſed toto cœlo aberrat, eo quia ſi ponamus ſuperficiem in corpore complanato æqualem, datur tamen alia æqualior, ſic de aſpera datur altera minus aſpera, & inæqualior, quas profundè diſtinguere, tactus non valet, ſic pulices hirſutos detegit eſſe microſcopium, & tamen ſine pilis nobis oculus repræſentat, ſic de Acoro minutiſſimo animalculo, & de aliis detectis nuperrimè microſcopii ope, ſi ſues ſe pti adhibenda; ita lignum curvatum in aqua diverſam, quam habet, nobis figuram repræſentat, ideoque evidens eſt, ſenſus nos decipere, ut colligitur etiam à Patre Bartolo in ſuis ſimbolis cap. 5. Et con-

ntrarium ſentire, epicureum eſt; nam Epicurei ntum ſenſibus tribuebant, ut nunquam nos fallere utarent, ac omnia, quæ diſcuntur, ſenſuum corporis regulis metienda eſſe cenſerent, ut in termiis illos damnat Auguſtinus Sanctus de Civitate Dei lib. 8. cap. 7.

Pergit ultra novandi ambitio, & dialog. 3. in ſuo ſiſtemate terreſtri cor, & motum in centro terræ admittit, illamque eſſe animatam, non excludit, & tamen adhuc recens eſt à Sancta Romana Eccleſia fulminata ſententia contra Nicolaum Copernicum, qui terram circulariter moveri cum Orbe contendebat, & contra Galileum, qui in ſuis dialogis ſimilem eructaverat cantilenam, ad cujus abjurationem fuit Romam accerſitus à Sacro Inquiſitorum Tribunali: quamvis non ſine nota temeritatis in hac re recenſendus ſit Petrus Regis Moſpilienſis in operibus poſthumis Malpighii in præfatione ad Lectorem circa finem, qui ſimili fortaſſe hæreticali pravitate imbutus perperam aſſerere, non erubeſcit, quod Galileus, reluctante conſcientia, ſuam opinionem deteſtari coactus ſit, quo educeretur à carceribus, & ab hujuſmodi vexationibus ſe vindicaret. Proh infrunita audacia Sacroſanctum Tribunal poſtponere videtur rancidæ Galilei opinioni, rancidæ inquam, nam multi antiquiſſimi Philoſophi Pontius Philolaus, & Pittagorici immobili terræ mobilitatem tribuerunt.

Terra autem ò ſacrilegi viri in æternum ſtat, teſti eſt Divina David Cithara à Spiritu Sancto pulſata; nec terræmotus ipſi aliquando excitati, ſunt tantum naturales effectus, ſed voces etiam tremendi Dei exercituum 2. Regum 22. verſ. 8. immiſſi à Deo propter hominum ſcelera juxtà illud *reſpicit terram, & facit eam tremere, commoveatur terra,*

terra, & plenitudo ejus, orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in ea. Dedit vocem ſuam mota eſt terra, Commoveatur à facie ejus univerſa terra. Adhuc, & quadraginta dies Ninive ſubvertetur, fuit monitorium à Deo ad Ninivitas per Prophetam tranſmiſſum, præter alias infinitas Sanctorum Patrum authoritates, quas libenter omittimus, veluti meſſem alienam.

At proh dolor in hoc corrupto ſæculo nihil jejunius, nihil in ſcholis abſoletius, rariuſque, ſi quod paganiſmum redolet, excipere velis. Auditur potius luxuriantis ingenii phantaſtica doctrina, quam communis, & ſacris confirmata ſententia; ita eſt benevole Lector, hæreditamus inſaniam primi noſtri Progenitoris, qui fraudolenti ſerpentis mendacio credidit, & veritatem infallibilis, ac immutabilis Dei neglexit, quid mirum igitur ſi in Novatorum ſtudiis apoſtatis à communi ſenſu Sanctorum Patrum verificatur, quod ajebat D. Paulus 2. Thimot. 3. *Semper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*; ut evidenter notum erit hos meos tractatus diligenter legenti, quamvis ſibi promittant novis doctrinis repleviſſe litterarium Ærarium, quando vix aliquid novi, ſi errores excipias, ſubolere, fas ſit in recentiorum operibus. Et videntur in ipſis certè verificari ſequentia ſacræ paginæ verba Eccleſ. cap 8. *Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub Sole, & quando plus laboraverit ad inveniendum, tanto minus inveniet, etiamſi dixerit Sapiens, ſe noſſe, non poterit reperire.*

Quod cum ipſe propalare audeam, magnam prævideo Calumniatorum cathervam, in me torquentem irriſionum ſpicula, nihilominus ſicuti Divus Paulus, ut ex actibus Apoſtolorum cap. 21.

Romam petiturus, prædicebat, ſe ibidem expectare vincula, cathenas, & mortem, neque ob id exhorruit, Romam dirigere iter, ita ejuſdem exemplo non me terrent Novatorum convitia, detractiones, naſique adunci, quin intrepido, conſtantique animo arguam, increpem in omni patientia, & doctrina, quæ in hac tractatuum ſerie delibata probare, arguere, & deteſtari promiſi, *cum utilis interdum ſit ipſa injuria paſſis*.

REDIVIVI GALENI
ADVERSUS NOVÆ SECTÆ PEDISSEQUOS
EXCLAMATIO.

Tam circa malam medendi methodum noviter introductam, quam circa omnia Recentiorum phyſica principia, & inventa, quibus ejuſdem ſectam peſſumdare contendunt.

DErelinquendus ne eſt ille Galenus pluries à tot Imperatoribus Romam accerſitus, maximiſque honoribus pro excellentia Artis decoratus? Notam ignorantiæ merebitur ille, qui ſine diſcrimine à tot illuſtribus Viris tam Græcis, quam Arabibus, & Latinis pro eorum Duce, & Magiſtro fuit electus? Imperitus ne erit, qui ſuis doctrinis immerſit in tetris vorticibus oblivionis ſectas Metodicorum, Empiricorum, Teſſalicorum, Eraſiſtrateorum, Diatritariorum, qui denſiſſimis falſitatis tenebris involutam colebant Medicinam? Æquum ne erit, obſcurare famam illius, qui collapſam

lapſam medicinam reſtituit, nudam exornavit, & ſine ordine errantem ad methodum rationalem reduxit? Non ne ille Galenus ſum, qui in medicina perveni ad adeptionem nominis magni Magiſtri, innumerabiles ægrotos, & ferè cadavereſcentes viros ad vitalem auram revocando? Difficile enim erat per tota terrarum ſpatia, glorioſum nomen diffundere, applauſibuſque communibus extolli, ac deinde cadaveribus ſaginare ſepulchra, ut iniquè me calumniantur hujus ſæculi Cenſores.

Si res ita ſe habet, cur multi ex recentioribus Medicis, meos vituperant labores tanquam inutiles, parvipendunt præcepta mittendi ſanguinem, exhibendi purgationes, gradus caloris, & frigoris methaphyſicos reputant, & Individuorum temperamenta nugas habent? Et tamen quoties (ſint nobis teſtes innumeri ægroti) aquæ frigidæ potu, ſanguinis miſſione, purgantium exhibitione tempeſtivè peractis jugulavi febrem, quæ alioquin veſtris multoties alchalicis, & antacidis incurabilis evaſit? Non enim humani ingenij partus eſt Medicina, ſed obſervationum filia, non arbitrariis inventis, non pompoſis nominibus, & medelis decipientibus homines novitatem affectantes curantur ægroti, ſed quæ aliis profuerunt, remediorum obſervatione, & applicatione.

Vos veſtris, ò Recentiores, jactantiis promittitis, acidorum ſpicula in humoribus retundere, ramoſas ſulphuris particulas deſtruere, ne poroſas alKali partes ingrediantur, coagulumque decantatum efficiant, nonnullaſque ſimiles improbatas hypotheſes, quas fingendi, non mihi ingenium defuit, ſed animus veritatis amator. Vos inquam jactatis, de perdita viſcerum reſtaurare fermenta, ſed ipſe cum Ariſtotele docui, à privatione ad habitum non dari re-

regreſſum. Vos Panaceis Cœleſtibus Elixir vitæ, Mercurio vitæ, aliiſque ſimilibus cadavereſcentem hominem reviviſcere gloriamini, nos autem Eorum, qui à morbo victi ſunt, curationem aggredi, noſtris Aſſeclis interdiximus. Vos, inquam, acidas fluidorum particulas dulcificare, & ad dulcem craſim ſanguinis maſſam remeare contenditis, nos verò docuimus ducti experientia aceſcentis vini, nunquam ad vini naturam redeuntis, non poſſe acidos humores rurſum ad dulcedinem tranſilire. Quid inde meliores eſtis vos? Mors fortaſsè ultrà non erit, veſtriſque glorioſis antidotis debellata remanſit? Vos vos Judices conſtituo, qui novo medendi genere ſaginatis ſepulchra: Ipſe Galenus præſens vidi ægrotantium turbas ad inferos deſcendiſſe: Dicite mihi quesò chimicè medentes, quantis Mercurius vitæ fuit Mercurius mortis, quos non miſerunt ad Orcum veſtri decantati ſpiritus, quæ funera non peregerunt veſtra antimonialia, ſileo libenter funeſtos revolvere caſus, quos tegit amica tellus.

Non ne experientia comprobatum eſt, pleroſque veſtrum empiricè ſine methodo errantes, verborum ſolum dulcedine, & lenocinio incautos decipere viros? Aulas occupare? ubi plus adulando, & mendicando, quam medicando proficitis? Non vobis hic memoro circulatores illos Medicos Orbis Syrenes, Reipublicæ monſtra, atque Civium lues, qui ſecreta non cuilibet revelanda jactant, arcana intra proprios lares conficiunt, & pomposis inſignita nominibus pretio ſatis magno divendunt.

Silentio involvo nonuullos alios Medicos Briareos non abſimiles coquo illi Plautino, qui contemptis vulgaribus condimentis veluti coriandro, feni-

feniculo, allio, pipere &c. ſuum increpat, & ſuperciliosè commendat cicilendrum, polindrum, ſancapridem, in quorum odore, ubi is in cœlum volaverit, cœnet Juppiter quotidiè, & qui veſcatur, vivat ducentos annos; ſic hujuſmodi Medici, neglectis noſtris antiquis præſidiis vetuſtate ſæculorum confirmatis, ſuperciliosè commendant gelatinam CC. bezoartica Jovialia, mineralia, & ſolaria, ſtibia diaforetica periculo plena, lixivialia, volatilia, alioſque pulveres oculorum cancrorum, cornu Cervi, margaritarum &c. quæ experientia teſte, de ſtomaco prolabuntur ad craſſa inteſtina, & nihil aliud peragunt, quam pernecesſariam ventriculi aciditatem abſorbere, & nutritii ſucci ad venas lacteas ingreſſum retardare.

Minoris planè fuiſſe roboris veſtras decantatas medelas, ſatis nimis hoc ipſum comprobat ægrorum, & Inventorum brevis vita, de Paracelſo, & Vanelmontio præſertim loquor, qui his ſuis arcanis in dimidio dierum ſuorum funera petierunt. Abiit, erupit, exceſſit noſtra illa ætas aurea, qua homines noſtris auxiliaribus manibus adjutos per ſæculum, & ultrà tranſigere vitam, ſolemne erat, teſtis eſt Hypocrates noſtræ ſectæ Princeps, qui centum, & novem vixit annos, teſtis ſum ego (inquit Galenus) qui ſalutaribus meis inſtitutis ad centum quinquaginta perveni, teſtes ſunt tot Sectatores noſtri Philoſophi, & Medici, qui ad longum tempus felicem vitam procraſtinarunt, prout videre eſt apud Laertium in libro de Philoſophorum vita, & in libro criticæ mortis pag. 56. & ſequentibus.

Recuſant nonnulli noſtris adhærere principiis, deridentes quatuor elementa, temperamenta, & qualitates, de quibus patrocinium non aſſumo,

ſatis enim in Peripateticis ſchol. apud celeberrimos Viros quotidiè reſonat defenſio. Num ſibi promittunt veriora eſſe Chimicorum principia de ſale, ſulphure, ſpiritu, aqua, & terra? Ad hæc vel analogizant cum elementorum quaternario, vel neque ſunt principia, neque elementa, ſed principiata, & ab elementis orta ſecundaria, quod philoſema eſſe veriſſimum primo autenticatur ab Hipocrate Medicorum Romulo, qui pluries in libro de locis in homine, & alibi quatuor in rerum conſtitutione jam elementa admittit, exindè ad alia proximiora deſcendit lib. de natura humana text. 31. quando ait, *quæ creſcunt, & feruntur, attrabit & terra unumquodque, quod ſecundum naturam ſibi familiare eſt, eſt autem acidum, & amarum, & dulce, & ſalſum, & omnigenum*. Secundo loco veſter Paracelſus Chimicorum Numen hoc idem comprobat, dum in lib. de Ridura fol. 65. & in Archidoxi dixit, hominem conſtitui ex quatuor elementis, inde aliis in locis ad proximiora deſcendens, ſulphur, ſal, & Mercurium proximiora ponit; nec vobis adducam authoritates Sennerti, Eraſti, aliorumque multorum, qui dicunt mixta non primo ex elementis conflari, ſed ex ipſis antea mixtis, & elementatis, ex quibus juxtà principalium prævalentiam reſolutum elementum denominationem ſuſcipiat, eò quia reſolvi nequeunt per analyſim chimicam in realiſſima elementa, fortis quippè eſt eorum nexus, & mutua penetratio.

Ulterius ex progenie Democriti alii noſtri inſurgunt Adverſarii, qui rejectis Chimicis, & Ariſtotelicis principiis, vident oculis lynceis imperceptibiles atomos, inviſibiles particulas, indiviſibilia corpuſcula, & quando Medici debent eſſe artifices ſenſati, ipſi perperam evadunt Argi cen-

tum

tum oculorum videntes, quæ non videntur, & non videnda proponunt: neque ipſe Paganus (pergit Galenus) in hujuſmodi ſententiæ confutationem annunciabo, nullo modo eſſe admittendam, quia indiviſibiles atomi nullam ponunt diſtinctionem inter ipſas & animam, quam confitemur eſſe indiviſibilem; ſed vobis Ariſtotelem proponam, qui 6: phyſicorum, & in libro, qui de lineis inſectilibus inſcribitur mathematica demonſtratione hanc barbaram ſectam Democriti, Leucippi, & Pittagoræ confutavit, nam, dicebat Philoſophus, quomodò hæ atomi indiviſibiles poſſunt componere mixtum continuum, ſi quod eſt indiviſibile, non poteſt eſſe neque continuum, neque contiguum, ut fiat nexus, ſiquidem continuum eſſe non poteſt, quia ratione mathematicæ continua ſunt, quorum ultima, & extrema ſunt unum, indiviſibilium autem ultimum non eſt, neque extremum diſtinctum eſt ab eo, cujus eſt extremum, & ita indiviſibilia continua eſſe non poſſunt, nec pari paſſu particulæ, quæ dividi nequeunt, exiſtere poterunt contiguæ, & annexæ, moleculaſque componere, nam certo liquet, contigua eſſe, quorum extrema ſimul uniuntur. Etenim quidquid tangit aliud, vel illud tangit ut totum, adeò ut omnes ejus partes ſimul ſint cum altero, aut ut pars totum, aut ut pars partem, at quomodò, quæ ſunt indiviſibilia hoc modo ſe tangere poterunt, ut oriatur unio, ſi quod eſt indiviſibile, eſt inſectile, non habet partes, nec eſt partibile, nec quantum, cujus partes communi termino copulentur, ideòque licèt indiviſibile addatur indiviſibili, continuum majus non efficiet, dum continuum conſtat ex multis partibus, quarum quælibet extra aliam reperitur, quæ partes non ſunt in atomis indiviſibilibus, ex quibus con-

tinuum conflari valeat. Fortaſsè ex corpoſculis indiviſibilibus ſine nexu, & ſodalitio partium, conſtituuntur corpora? Porrò Hipocentaurus hic erit in concavo lunæ locatus dignus omnium Philoſophorum admiratione, ne dicam deriſione.

Num veriſimilior erit altera Carteſii ſententia, quam amplectuntur penè omnes Philoſophi hodierni de principiis mole, figura, & motu? Sed quid ipſa infirmior! dum figura, moles, & motus nequeunt eſſe principia, nam figura eſt accidens ex corpore diverſimodè completo reſultans, moles ex partibus conſtat, & motus vim ſuam habet, vel ab igne, vel ab ethere elementa poſtea componentia ſunt corpuſcula variè figurata rotunda, ſpiralia, & alterius figuræ, ex quo ſequitur, quod ſi ex diverſa configuratione varia inſurgant corpora in natura, partes continuatas corpora non habent, ſed diviſas, & vicinas, quia ſi eſſent continuatæ, amitterent propriam figuram, quæ eſt corporis complementum. Si res ita ſe habet etiam corpora ſolida, ut metalla, lapides &c. eſſent acervum comminutarum particularum, ac ſoliditate carerent: Nec ſola quies, ut ait Carteſius, ſoliditatem impartitur, nam illa ſolum in ſtatu ſuo linquit corpora, neque enim apopleticus orbatur motu, quia manet in quiete, nec ſolideſcunt in quiete cadaverica corpora, ſed rarefiunt, & diſſolvuntur; minuſque ſuffragatur refugium Fautorum ad ſomniatam ſubtiliſſimam lanuginem, uncinos, & chimerizatas moleculas, propter quas concatenentur ad invicem, & ſoliditatem nanciſcantur; nam tunc non erunt amplius vera principia de mole, figura, & motu, dum in tali annexione moles, ſive magnitudo variabitur, propria figura deſtruetur, & motus auferetur, attento quod moles,

les, & figura tunc ſtrictis compedibus, & amplexibus detinentur, adeò ut moveri, & ſpatiari non poſſint.

Ulterius ſi ſanguinis maſſa conſtitueretur à propòrtione multarum particularum in numero, figura, & motu, ut multi ſentiunt recentiores Medici, ſingulis fortaſsè momentis maſſa ſanguinis turbaretur ab eſu nimirum diverſorum alimentorum, quæ modo haberent diverſam figuram, nunc multa, nunc pauca eſſent, & diſconvenirent in numero, nunc denique eſſent vel magis fluida, vel magis ſolida, vel magis craſſa, vel admodum ſpirituoſa, unde exindè variarent motum, & figuram, & ſi fortuna æquabili gauderent ſimetria, illam ſtatim amitterent, cum ab exiguis arteriis in minores, & à minoribus ad minimas, & capillares perenni circulo tranſire debeant, adeò ut ſingulis momentis mutationem vel in motu, vel in figura, vel in numero, vel alio quolibet conſtituente certiſſimè reciperent. Cum igitur quotidiano experimento quatuor modis recedat Animal à recta humorum æquabilitate; ſcilicèt per febrem quotidianam, quartanam, tertianam, & continuam, & ex his compoſitis, quid congruentius eſt dicere cum infinitorum Doctorum opinione, quatuor eſſe primario humores, quatuor primordialiter correſpondentes elementis, licet per corruptelam, & mixtionem abeant in multiplices indoles, & naturas modo acidas, modo acerbas, ſalſas, dulces, amaras, & alias omnigenas, ut in veteri medicina noſter loquebatur Hipocrates.

Vobis enim dico omnium horum cauſam eſſe diverſam mixturam, fermentationem, & partium poſitionem, quis enim parum in Chimicis verſatus hæc non obſervat? miſce quæſò ſpiritum Nitri cum

ſpi-

ſpiritu CC. & ecce color rubeus, & roſaceus, miſce inquam ſpiritum ſulphuris cum oleo tartari, & ecce color albus, & lactiginoſus, ſpiritum vini cum ſpiritu urinæ, & ecce coagulatio, decoctum roſarum rubrarum cum decocto gallarum, & ecce color niger, & denique miſce cum ſiruppo violaceo oleum tartari per deliquium factum, & ecce color viridis, & ſi vis in illo rubicundum colorem, acida adde. Cur ergo repugnat, tam prætenſas in corpore particulas prima non exordiri ſtamina à quatuor humoribus, & quatuor humores radicaliter à quatuor elementis, ſecundariò in alia proximiora componentia deſinentibus? ſi in enarratis mechanicis tantùm valet miſcela ad varias corporum texturas ſapores, & colores efficiendos?

Prætendunt demum nonnulli rerum in Anatome glorioſi Inventores noſtram galenicam, tanquam rudem, deſtruere ſectam, meumque nomen nebulare, eh abeant hinc in malam Crucem cum iſtac magnificentia! & rogo legant Theodori Janſonii ab Almeloven *Inventa nova Antiqua*, & animadvertent vetuſtiſſimam eſſe ſanguinis circulationem Hipocrati, Ariſtoteli juxtà Ceſalpinum, & mihi Galeno notam, ſic venas lacteas, canaliculos in renibus, glandulas, vaſa lymphatica, ductus ſalivales, teſticulorum ſubſtantiam, ductum thoracicum, cæteraſque etiam alias minutias, quas 17. de uſu partium cap. 1. curioſius inquirere Sophiſtarum gratia cogi, expreſsè ſcriptum reliqui, *quibus non ſatis eſt naturæ artificium in utilibus didiciſſe, ſed paſſim proponunt, cujus rei gratia particula hæc facta ſit, aut cur talis, tantave*, ideòque 2. de anatom. adminiſt. cap. 2. anatomem diſtinxi in utilem, & ſupervacuam, de qua in hoc ulceroſo medicinæ ſæculo tam jactabundi ſunt Medici,

dici, pergentes non quò eundum, ſed quà itur, optima rati ea, quæ magnificè incedunt per ora Comprofeſſorum, viventes non ad rationem, ſed ad gloriolam vanitatis.

Et ſanè quæ ſunt in corpore membra, poſt veſtram ſubtiliorem anatomem ſuum antiquum jam retinent munus, ut ſermone 6. annuit Leonardus de Capua loquens de VVilliſio, qui tam longo examine rimatus fuit ſtructuram, & officium partium cerebri, nihilominus niſi quod prius, ſcimus. Docuit enim Antiquitas, pulmones inſervire pro beneficio reſpirationis, quid nunc tam benè delineati per vaſorum rete, inteſtitia, lobulos, & fibras idem non peragunt? & tamen pthiſis curatio nullum adepta eſt remedium. Docuit renes eſſe inſtrumenta ſecretionis urinæ, quibus licet addidiſſe prætendant canaliculos, & nonnullas glandulas, adhuc tamen ſeparant urinam, & Terapeia renalis incrementum non ſuſcepit. Mammas Gellius vocavit Sanctiſſimos Corporis fontes aquam nutrientem emanantes, teſtes humani ſeminis pretioſas capſulas, & per nova inventa diverſo non funguntur officio, Hepatem præter ſanguificationem ipſe Galenus docui bilem à ſanguine ſegregare, quid autem hodie per acinos, & glandulas, & reticulas, & fermenta idem officium non præſtat? eodem quidem partes funguntur munere, ſed pejori methodo curantur morbi, ut meo nomine exclamavit Grembſius: *Poſt mille ſæcula non adeò exculta anatomes, & fortaſſe cura fœlicior*. Quid alia memorem! veritas palpabilis eſt, nec ſplendidiori indiget face.

Nonne melius eſſet, ò recentiores Medici, ſedulam navare operam ad inveſtiganda remedia vera, & ſpecifica, quæ latent in regno vegetabili minerali, & animali adeò nobis occulta? & non

pro-

profundere tempus in novis nominibus, & inventis, quæ non conferunt ad corporum medelam? Salutis Profeſſores, dicebat Petrarca, concupiſcunt ægroti, non Medicos illos, qui verbis mellitis ſanant, rebus verò interimunt, & in actu prorſus alii videntur ab his, qui viſi fuerunt in ſermone. Propterea, ut vos pectore inflammato incumberetis ad medicam praxim, & ne curioſitas ad alia alliceret, octavo de decretis Hipocratis, & Platonis ſcriptum reliqui: *Scire cur humectat aqua, urat ignis, an hic habeat piramitas partes, terra cubicas ad morborum curationem nihil conferre*, quamvis ſi tempus ſuperſit, animi ſublevandi gratia, & præmiſſo praxis medicæ ſtudio tam longo, & neceſſario non improbem, imò commendem ſubtiliorem anatomem, Zótomiam, & Dentranatomem, *in quibus*, ut ad rem pulcherrimè docet Seneca, *animus ludit, non proficit, nec te aliquando iſta agere prohibuerim, ſed tunc, cum voles, nihil agere*, ut de hujuſmodi Recentiorum ſtudio jam monuit clarus Hieronymus Sbaraglia.

Quid enim attulit utilitatis, ò Novatores, vocabulorum illa mutatio de humoribus Antiquorum in medicinà? nullam ſane, niſi confuſionem, inter Medicos chimiæ imperitos neſcientes naturam veſtrorum principiorum acidi, & alKali, ſulphuris, & Mercurii, ſalis, & aquæ, ſpiritus, & terræ, aliarumque particularum, ex quibus in medendo male feriatas concipiunt ideas in ægrotorum excidium. Sed ex conceſſis, quod ſanguinis maſſa Chimicorum analyſi in prætenſa Chimicorum principia vi ignis poſſet abire, tamen, quia dum ſunt in corpore humores ſimplices non ſunt, ſed mixti, proindè ſequitur appellationem à toto eſſe ſumendam, ſenſus namque docent ex alimen-
tis

tis aſſumptis ſanguinem, non ſal, ſulphur, Mercurium generari, & ſecta vena ſanguinem, & non ſal, neque ſulphur proſilire, ac dum de ſanguine, & humoribus quæritur, non de primis rerum principiis, de proximis primaria quæſtio eſt, quia jam certo conſtat nec chimica principia primaria eſſe poſſe, ſed ſpuria ſecundaria vigore ignis alterata. Unde ſicut rejicienda non ſunt oſſium, membranarum, carniſque nomina, quamvis & ipſa in chimica principia reſolvi poſſint, ita nec nomina Galenicorum humorum: ideòque ipſe Galenus lib. 5. de ſimplic. Medic. facult. cap. 22. ſermonem habui de inani nominum uſurpatione, quam Medici Recentiores, & inter eos maximè methodici induxerunt, *ne Poſteritas nominum novitate deciperetur*. Vivat igitur Galenica Methodica, & dogmatica ſecta, quò antiquior, eò glorioſior, & communi applauſu Medicorum reſonet Cœtus.

Spreta triumphatrix ſurgit veneranda Vetuſtas,
Quo premitur Virtus celſior ire ſolet.

Sed ſilentium tandem ſit tibi Pater Galene; nam neſcio quid majus emicat in eruditis Recentioribus, quod tuas obnubilat glorias, reſpice quæsò Chimicorum fornaces, eorumque chimica magiſteria in tot ſalibus, tot extractis, in tot aquis ſtillatitiis, in tot mineralium præparationibus, & licet invitus coactus eris exclamare; O laudabilis Chimia Antiquorum pharmacia terque, quaterque ſublimior, atque excelſior.

Verumtamen intrepidus Galenus has ſtatim profert reſponſiones, veneror, ò Recentiores Medici Chimici, veſtros ſudores, veſtroſque labores valdè ingenioſos, ſed parum Reipublicæ Medicæ neceſſarios: Et cum nemo poſſit eſſe Judex in cauſa propria, ad hanc conciliandam noſtris aſſertis fidem,

fidem, in teſtimonium adducam veſtros Chimicorum Anteſignanos.

Et primò quoad ſalia docet Angelus Sala aphoriſm. chimiatr. 33. non eſſe anteponenda ſuculentis, nam ignis vi, & incineratione humidum primigenium vegetabilium in ſalibus abſumitur, omneſque tincturæ, proprietates, ac potentes qualitates, quales ſunt ſapores, odores, colores evaneſcunt, ac reſolvuntur: Ulterius animad. 9. & defenſ. quæſt. 9. addit, cineritia hujuſmodi eſſe mera ſalia prorſus vegetabilium virtutibus deſtituta, majori acredine prædita per combuſtionem, ut concinnè cecinit Poëta:

Herbæ forma perit nulla reparabilis arte,
Cum ſemel in cineres herba redacta fuit.

Verum formas plantarum, ac ſtirpium non imaginatione tenus, ſed re ipſa per incinerationem interire, demonſtrat Bilichius Theſſalo in Chimicis redivivo cap. 7. ubi etiam ad Quercetani, & Beguini rationes in contrarium adductas reſpondet, Qua de re progreſſus in arte Medica per vegetabilium ſalium præparationem nullus ad beneficium ægrotantium videtur eſſe, tantò fortiùs, quod omnia hæc ſalia tam fixa, quam volatilia ſunt ejuſdem virtutis, ac cathegoriæ, ac nullam eſſentialem differentiam agnoſcunt inter ſe, ut confirmat Emanuel Konig. in theſaur. remed. lib. 5. pag. 108. ac Etmuler. opera omnia tom. 2. cap. de ſal bus 79. aliique quamplures Chimici, ac Medici recentiores.


Secundò: Quoad aquas ſtillatitias jam clamat Helmontius in tract. de febr. cap. 8. §. 1. eſſe plantarum ſudores, pluviales aquas ſine ulla efficacia, ac energia, idem repetit Coringius de medicam. Hermeticis cap. 20. immò omnes ejuſdem potentiæ, & na-

& naturæ eſſe audacter aſſerit, & tandem ut cæteros ſilentio involvam accedat Angelus Sala aphor. chimiatr. ſect. 2. aphor. 11. Qui concludit, aquas deſtillatas (ſi odoratas excipias) virtutes corporum, è quibus eliciuntur, non habere; en igitur in aquis jam veſtra demerſa Chimia quoad medicinæ progreſſus.

Tertiò: Quoad extracta ſufficiat, quod docet Zuvelferus relatus à Guernero Rolfincii cap. 1. pag. 241. libri Chimiæ, qui cenſet paucas, vel nullas vires poſſidere, cum omnes partes volatiles, & activæ æthera petant.

Quartò: Tandem quoad mineralium præparationem ſatius eſſet conticeſcere Mercurii, & Antimonii funeſtos caſus, quam eorum laudes ſupra galenicam pharmaciam extollere, quippè enim multos paucos Authores Medicos legere contingit, qui venenata metalla quomodocumque præparata non vituperent, pluresque Marte Medico, quam bellico interfici, non judicent. Undè jure meritò cecinit Poëta.

Crede ratem ventis, corpus, ne crede, Chimiſtis,
Eſt quævis Chimica tutior aura fide.



PE-

PETRI ANGELI PAPI
MEDICI, AC PHILOSOPHI
SABINENSIS
PRIMUS TRACTATUS
PHISICOTHEOLOGICUS

De erroribus circa Sacram Geneſim per Opera Recentiorum Philoſophorum, ac Medicorum diffuſis, nunc primò detectis, ac pro deteſtatione in lucem editis.

De prima rerum Creatione.

PROOEMIUM.

IN principio dicendi totis artubus contremiſco, mente captans hæc ſacra, à ſacris eſſe tractanda Viris, verumtamen cum uſque adhuc abſconditi non ſine animarum pernicie multi in phiſicis deteſtabiles errores legantur, & tolerentur ſub velamine novarum, ac ſpecioſarum rerum, hanc ideò, viribus licèt imparibus, mihi difficillimam Provinciam aſſumpſi (pertimeſcens, ne cum Propheta dicatur: *Væ mihi, quia tacui*). Quapropter, quæ mei tenuis ingenii cymba potuerit animadvertere, diſſonans eſſe ſacræ paginæ, & communi Sanctorum opinioni, ſalvo ſemper orthodoxæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum meliori judicio, æquo animo proferam: Quod ſi placuerit

par

par meis votis proœmium retuliſſe judicabo, ſin minus id ſaltem mihi videbor aſſequutus, ut acriori, & ſublimiori ingenio Sacri Viri hoc exemplo excitati pro rei, de qua agitur dignitate, & neceſſitate cum majori laude exerceantur.

Itaque, antequam ad erroneas circa Creationem Authorum recentium opiniones confutandas deſcendam, operepretium eſt, ad mentem Sanctorum Patrum nonnulla de Sacra Geneſi præliminaria proponere, quæ erunt veluti fundamenta noſtrarum probationum.

Et primò animadvertendum eſt, creationem operis ſextiduani eodem temporis, quo Deus voluit momento abſque ullo diſcrimine dierum, peractam fuiſſe, ut docent D. Auguſtinus lib. 4. de Geneſi ad lict. cap. 21. Philo Judæus in allegoriis legis Moſaicæ, Rex Moyſes Ægyptius lib. 2. Ductoris, Albertus, Gaetanus, aliique Eccleſiæ Patres, & confirmatur ab Eccleſ. cap. 28. Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul; necnon D. Gregorius 32. moral. cap. 9. *Omnia, ait, in creatione Cœli, & Terræ condita, licet disjunctis diebus apparuerint,* quem ſequitur D. Thomas lib. 2. diſt. 12. & tandem Baruch cap. 3. ubi ait: *Qui præparavit terram in æterno tempore, & replevit pecudibus, & quatrupedibus.*

Secundò: Præſciendum eſt, quod ſacra pagina, & Sancti Patres apertè docent, primam rerum creationem ex nihilo ſine ulla præexiſtente materia factam eſſe, ita Salomon 2. Sapient. cap. 11. admonet: *Non impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terræ ex materia inviſa, mittere illis multitudinem Urſorum &c.* materia enim inviſa, ut ajunt Interpretes, *nihil eſt*, quod ſimiliter indicat D. Auguſt. lib. 11. de Civitate Dei cap. 2 inquiens: *Si quæris, quis fecerit, Deus eſt, ſi per quod, dixit,*

 fiat,

fiat, & facta ſunt, ſi quare fecerit, quia bonus eſt, ad imitationem Divini Cythariſtæ canentis: *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*: Ex eo quia creatio fit ex nihilo, & minimè ex præſuppoſita materia, undè advertit Joannes Voſſius de phiſiolog. Chriſtiana, & theolog. gentili tom. 2. lib. 7. cap. 7. quod præſupponere materiam in prima creatione, eſt hæreſis Valentiniani, Hermogenis, & Sabellii, quos magnus Tertullianus vocat hæreticos materiarios, & cap. 25. adverſus Hermogenem dicit eſſe adverſus Sanctam Eccleſiam, & Sacram Scripturam, quæ docet, omnia fuiſſe facta à Deo, nec addidit ex materia, quod ſatis indit, fuiſſe facta ex nihilo.

Tertiò: Præmittendum omninò neceſſario eſt, quod in Sacra Geneſi Abyſſus alio nomine dicta Hylen, & Chaos, juxtà receptam Sanctorum Patrum opinionem ab ipſo ſenſu Geneſis deductam, eſt profunditas, ſive impenetrabilis copioſitas aquarum in viſceribus terræ latentium, eapropter 5. & 6. Geneſis dicitur, *rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ Cœli apertæ ſunt*, & denuò repetit, *& clauſi ſunt fontes abyſſi*; & in Cantico Moyſis Exod. 15. *Congregatæ ſunt abyſſi in medio mari: abyſſi operuerunt eos*, nec non Pſalm. 76. *Viderunt te aquæ, & timuerunt, & turbati ſunt abyſſus*. Cardinalis verò Hugo in Geneſim diverſam à profunditate, & confuſione aquarum tradit intepretationem, quando interpretatur: *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*, ideſt in ſuperficie machinæ Mundialis, & Moyſes, quam prius dixerat terram, vocat abyſſum pro ſui confuſione, & obſcuritate. In qua re hoc unum animadvertere te vellem, ò Lector, quod in ſacra pagina abyſſus non ſumitur pro univerſali materia, ſeu atomorum Chaos, nec anteà præexiſtere

ſtere ullus ex Patribus docuit, quod ſi cum ſacrilegis diverſo modo credas, pro me reſpondet Divus Ambroſius his verbis: *Si in principio Deus creavit Cœlum, & Terram, erat ergo ex quo Hiles facta eſſet?* quo argumento utitur quoque Sanctus Auguſtinus contra Manichæos de Geneſi lib. 1. cap. 3. Ex quibus patet ſub Abyſſi nomine nil aliud latere, quam profunditatem aquarum, quæ prius Terram mergebant, donec inde congregatis aquis, & terra illuminata à luce in montes, & colles elevata apparuit, & tunc evanuit abyſſus, nimirum confuſio, & obſcuritas.

Quartò: Demum præmonendum eſt, quod ſub nomine Cœli, & Terræ, de quibus in principio creationis fit mentio, compræhenſa eſt quatuor Elementa communiter tenent Sancti Patres, & Interpretes Sacræ Scripturæ, ita Sancti Baſilius, Damaſcenus, & Ven. Beda, ut apud Pererium lib. 1. in Geneſ. cap. 1. Ita Chemnitius, Zanchius, D. Chriſoſtomus, D. Auguſtinus lib. 7. de Civitate Dei cap. 6. dividens præſertim Cœlum in ethera, & aerea; Toſtatus in Geneſim, aliique de Patrum familia, uno ore dicentes, nomine Terræ in ſacris paginis debere intelligi globum Terraqueum, elementa nempè aquæ, & terræ, & ſub nomine Cœli reliqua duo ignem, & aerem. Nec non citatus Pererius addit inſuper nullam eſſe apud Theologos repugnantiam pro corporis humani materia accepiſſe mixturam quatuor elementorum, licèt lutum, ſcilicèt aquam, & terram Sacer Ghronologus nominet, cum hæc duo in compoſitione cæteris præcellant, ſintque ipſis ſenſibus magis conſpicua, & reliqua duo occultiora, mole quidem minora, ſed poteſtate majora, ſint veluti occulta.

Ac inſuper in hac fabrica humana quærit idem

Pereriu , numquid præter quatuor elementa aliquid ex quinta eſſentia , vel ex natura cœleſti veniat in compoſitionem corporis humani ? reſpondetque eorum , qui id aſſeverant , opinionem eſſe ſanæ doctrinæ contrariam à Theologis damnatam , & à veris Philoſophis tanquam pueriles nugas , & aniles fabulas deriſam,ac exploſam, per rationem, quod quia quinta eſſentia poſſit eſſe incorruptibilis , & ita cum corpore patibili , & corruptibili uniri nequeat .

Tandem Cardinalis Hugo de S. Charo quatuor elementa creata aſſerit , quando dixit , creavit Cœlum , & Terram , accipiendo Cœlum pro duobus ſuperioribus elementis , Terram pro duobus inferioribus , & citatus D. Auguſtinus hoc idem autenticat etiam in lib. Geneſ. ad lit. cap. 1. & 2. uſque ad undecimum , adeò ut nullus dubitandi , nec cœcutiendi locus remaneat in tanta authoritate , ac jubare Sanctorum Doctorum , & præclariſſimorum Intepretum .

A quibus oraculis illuminati tot Orbis litterarii eximii Viri Divinus Plato, Divinus Hipocrates, Ariſtoteles , Galenus , ſed quid numero ! Innumerabiles ſunt , veluti arenæ Maris , qui quatrigam elementorum adeſſe tenuerunt , & tamen moderni Philoſophi , præcipuè Medici ad hanc ſacrilegam dementiæ ſpeciem devenerunt , ut non obſtantibus inviolabilibus teſtimoniis Sacrarum litterarum , Sanctorum Patrum , infinitorumque antiquorum Doctorum , negent intereſſe in rerum compoſitione quatuor elementa .

Reſipiſcite igitur ò Novatores , credite Sacræ Geneſi , quia valdè ponderabile eſt monitum S. Joannis cap. 5. *Qui credit Moyſi , credit Deo ; ſi crederetis Moyſi , crederetis & mihi* : Ideò D. Paulus 2. ad

Thimot.

Thimot. cap. 3. hæc aurea verba protulit: *Tota Scriptura Divinitùs eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in juſtitia.* Hoc lydio lapide veſtræ opiniones veniunt examinandæ, ſub hoc Scrutinio perpendendæ ſunt veſtræ doctrinæ, nam Sacra Scriptura eſt veritatis Templum, & Spiritus Sancti infallibilis Miniſtra.

Secundò loco, ſi militatis ſub Chriſtianorum vexillo, Sanctorum Patrum dictis omninò ſtandum eſt, ut præcisè probat Antonius Maria Coratius Cortonenſis Juridicus doctiſſimus in tract. de com. Doct. opin. tit. 9. num. 91. Intel. num. 72. & 83.

Tertiò: Vos moneo cum præcitato Doctore, quod communis opinio, & antiquior æquiparatur legi, ejuſque vim ſortitur, in præfat. nu. 30. Addit ulterius ad rem noſtram, Antiquos præſtantiores eſſe modernis pondere, numero, & menſura tit. 1. num. 11. & antiquos doctiores eſſe modernis, antiquumque in authoritate æquiparari multitudini modernorum, quia antiquior doctrina ſit venerabilior, & vera, tit. 5. num. 19. 25. 29. 30. & tandem Deuteron. 32. *Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* Quibus poſitis fundamentis properare debemus ad inquirendum, utrum modernæ recenſendæ doctrinæ ſint conformes ſacris litteris, Sanctis Patribus, Antiquorum authoritatibus, & utrum validis rationibus firmentur, ac fulciantur.

SCRUTINIUM PRIMUM.

De erroribus Recentiorum circa rerum Creationem.

GLorioſa primo eruditiſſimi Boylis reſonat fama per ora Medicorum Philoſophorum, & jure meritò ejuſdem inſignia debent opera commendare, dum cæteris ſupereminet, veluti inter lenta viburna cupreſſus; nihilominus parcat mihi quæsò, ſi enunciabo, Sacræ Geneſi non convenire propoſitionem primam in ſuis dubiis, & paradoxis chimicophiſicis circa Spargiricorum principia, in qua habet: *Non videtur abſurdum concipere in prima mixtorum corporum productione materiam illam univerſalem, ex qua ea inter cæteras univerſi partes conſtabant, in exiguas particulas diverſis magnitudinibus, & figuris inſtructas, actu diviſas fuiſſe, variéque motas*: addendo inſuper in declaratione ſuæ propoſitionis magnum, & ſapientem rerum Authorem, non immediatè creaſſe plantas, beſtias, aues &c. ſed conſtituentes particulas, unde nova hæc concreta debebant conſtare, variè motas fuiſſe, ut in varia ſua coalitione, & textura in corpora connecterentur. In qua propoſitione, ſi demas primam particulam, *non*, fiet conformis Sacræ Geneſi, aliter erronea mihi videtur opinio, quia Divinus Hiſtoricus nunquam meminit Architectum Sapientiſſimum Deum variè moviſſe materiam univerſalem, ſive conſtituentes particulas, ut connecterentur in corpora; ſed ait: *in principio Deus creavit Cœlum, & Terram; fiat lux; fiat firmamentum; producat Terra herbas virentes; producat aqua reptile*, & non dixit, *producant particulas conſtituentes plantas, beſtias, & aves*.

Ipſe

Ipſe ipſe Deus non cęco particularum motarum confluxu, ſed omnipotenti ſcientia, & ſapientia, dixit, & facta ſunt, Ipſe mandavit, & creata ſunt, ut Cythariſta canit, præſcribens Divina lege coordinationem rerum, augmentum, & decrementum, ortum, & interitum, ut præcitatus reſonat; *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit.*

Non itaque ex minutis particulis à materia univerſali disjunctis, ut in ſecunda propoſitione imaginaris ò Boyles, in maſſulis, & racemis aſſociatis conſtituit Orbem Deus, rerumque productionem, non hoc mechanico modo ex hujuſcemodi minutiis diverſimodè figuratis, & motis res univerſas produxit, dedecet porrò pleomnipotentiam Altiſſimi his mediis mechanicis uti, qui non ordinaria lege applicando activa paſſivis, creavit univerſum, ſed ex nihilo, & quia tantum voluit, ut docet D. Auguſt. lib. 11. de Civitate Dei.

Mundus quippè duplex eſt ſecundùm ſanos Philoſophos, unus intelligibilis, ſeu Architypus, qui dicitur mens Divina, ſeu ipſe Deus, qui rerum omnium exempla, & ideas in ſe continet; alter verò ſenſibilis Divini Exemplaris Imago, qui dicitur ordinata ſeries corporum naturalium, quæ à Deo, & per Deum conſervatur, cum ab Eodem principiorum omnium principio non ex motu particulis indito, ſed ex nihilo factus ſit, vel ex materia inviſa, ut concludit Salomon 2. Sapient. c. 11. Qui enim ex vario particularum motu res univerſi productas fuiſſe aſſerunt, renovant Contagium Epicuri ſupponentis à vario, & fortuito atomorum concurſu ab univerſali materia diſgregato, & ab interno principio hac illac moto in immenſo, vel infinito vacuo, rerum generationem ſortiri,

contra ſenſum Sacræ Geneſis, cujus opinionis labe infecti ſunt ferè omnes Philoſophi Carteſiani, contra quos has meas redargutiones dictas eſſe volo, ut talpæ cœcutientes expergiſcantur tandem ad voces Prophetæ Moyſis divinitùs loquentis, nam ut monet S. Joannes cap. 5. *Qui credit Moyſi, credit Deo*.

Secundo loco ſub Scrutinio veniat Petrus Joannes Fabrus, qui lib. 1. cap. 13. ſic contra Sacram Geneſim principia chimica ſibi fingit. *Poſtquam Deus creavit ſua liberalitate, & amore naturam univerſalem, ſeu abyſſum, tunc ejus eſſentia commota ſecundum ſua innata principia, tunc puriſſima ſulphuris pars diviſa eſt in Solem, & ex minus pura, & lucente ſulphuris parte, cum puriſſima Mercurii parte procreati ſunt Cœli, in quibus innatant Cœleſtes ignes; ex altera verò Mercurii parte minus pura factus eſt aer; & ex hac etiam Mercurii parte, cui permixta ſubtiliſſima ſalis pars facta eſt aqua; ex reliqua tandem ſalis parte, in qua recrementa naturæ, & ſordes abyſſi erant, procreata eſt terra*: O inſcitia deplorabilis ſacrarum licterarum, ò ſacrilega loquacitas, & infrunita audacia? Nonnè Sacer Chronologus Moyſes nos docuit, in principio Deus creavit Cœlum, & Terram? ut tibi liceat aſſerere, creaſſe naturam univerſalem, ſeu abyſſum? Nonnè tot Sanctorum Patrum authoritates Sacræ paginæ Interpretum, ut in tertio tractatus numero præmiſimus, nos admonent, abyſſum in Geneſi nil aliud ſignificare, quam aquarum profunditatem, ſivè quandam confuſionem? ut tibi fas ſit aſſerere, cumulum fuiſſe innatorum principiorum ſulphuris, ſalis, & Mercurii? Quomodò, ſi in principio creati ſunt Cœli, & terra, Cœlum factum eſt ex minus pura, & lucente ſulphuris parte, & ex puriſſima Mercurii parte? Ac

ex

ex recrementis naturæ, & ſordibus abyſſi facta eſt terra? Si incontrovertibile eſt apud omnes Philoſophos, quod creatio ſit ex nihilo, nullo præſuppoſito ſubjecto? & unde nam omniſcius ille rerum Sator opus habuit prius producere Chaos confuſum cum chimicis principiis, ac indè fabricare Cœlos, Solem, & Elementa: ſi ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt, ut Regius Vates canit? Similes pariter nugas recitat idem Fabrus lib. 3. cap. 9. & cadunt ſub eadem cenſura, ne idem repetere videamur, illùc curioſum Lectorem remittimus.

Tertiò: Sermo ſit de Georgio Ripleio Philoſopho Anglo in Prologo libri duodecim portarum relato à Mangeto lib. 3. ſubſect. 2. hic bonus Vir ſuo Marte novam incudit Geneſim, dicendo: *In principio cum creaſti omnia ex nihilo, ſfericum opus, & obſcurum ex confuſo chaos, te Authore, non ſine miraculo fuit fabrefactum, in ſe continet omnes res promiſcuas, quod ſex dierum ſpatio fuit diſcretum, ut Geneſis apertè teſtatur, tum Cœlum, & Terra facta ſunt tuo verbo, tua voluntate, atque potentia ex una maſſa confuſa creata ſunt omnia, quæ nunc ſunt &c.* Caput porrò excalefactum ab igne hunc Philoſophum Hermeticum habuiſſe credo, ſiquidem ſi omnia in principio creata ex nihilo præſupponit, cur illicò ſe contradicit, quod sfericum opus ex confuſo Chaos ſit fabrefactum à Deo, ſi Cœlum, & Terra facta ſunt verbo, voluntate, atque potentia Dei, cur iterum labitur in contradictionem, *ex una maſſa confuſa creata ſunt omnia, quæ nunc ſunt*? ſi in univerſali termino *omnia*, prima vice omnia ex nihilo facta eſſe comprehendit, cur ſecunda vice in hoc univerſali termino, *omnia*, ex maſſa confuſa creata omnia eſſe contendit? quænam nova hæc tua dia-

dialectica eſt, ut neſciat cognoſcere terminos creationis, & generationis valdè diſpares inter ſe? Creatio enim dicitur ex nihilo, generatio verò dicitur ex præſuppoſita materia, ac ita Cacohetes eſt, dicere, omnia creata eſſe ex confuſa materia, ſive maſſa, dum creatio nullum præſupponit ſubjectum, ſed ex nihilo fit, de non eſſe ad eſſe, juxtà definitionem D. Thomæ dicentis: *Creatio eſt emanatio entis univerſalis ex nihilo*. Præterquamquod ſatis enunciatum jam eſt in n. 2. & 3. noſtri tractatus hoc nomen abyſſi, ſive Chaos non importare materiam univerſalem, ex qua creata ſint omnia, quia reſponſum dedit præcitatus S. Ambroſius: *Si in principio Deus creavit Cœlum, & Terram, erat ergo ex quo Hiles facta eſſet*. Undè jure merito Magnus Tertullianus hujus opinionis pediſſequos vocat hæreticos materiarios, prout in capite 25. adverſus Hermogenem ſcriptum reliquit. Denique quos ſilentio involvo hujus ſententiæ Novatores, in hac ſalutari critica, ſeu probatica piſcina mundari concupiſco, ne nimis ſim longus, in eaſdem cantilenas repetendo.

SCRUTINIUM II.

De aliis rationibus perſuadentibus quatuor eſſe rerum omnium negata elementa ex Geneſi deducta, ac de quinque animadverſionibus neceſſariis pro ipſorum intelligentia.

JAm ineluctabili teſtimonio Sanctorum Baſilii, Damaſceni, Chriſoſtomi, Auguſtini, Bedæ, nec non Chemnitii, Zanchii, Toſtati, Pererii, Cardinalis Hugo, aliorumque Patrum, ac Interpretum Sacræ Geneſis, præventivè firmatum eſt in num. 3. præceden-

cedentis tractatus, in creatione Cœli, & Terræ creata, & compræhenſa fuiſſe quatuor recenſita elementa, quæ in omnium corporum productionem idoneam ſuggerere debent materiam; Quamobrem, ne vobis durum, & criticum videatur, ò Recentiores, ſi adverſus veſtra principia de atomis, corpuſculis, particulis, ſale, ſulphure, & Mercurio, acido, & AlKali, Sacræ Geneſi, & Sanctis Patribus contraria calamum ſtringam, tacere etenim in re tanti momenti, tamque in libris Recentiorum promulgata, certè negligere eſſet aureum illud monitum: *Væ illi, qui talentum ſibi à Deo concreditum in foveam abſcondit.*

Dari igitur quatuor elementa prima corpora rerum, non vobis præter allegatas authoritates adducam innumeras rationes, quæ à tot inſignibus Sapientiæ, & Philoſophiæ candidatis recenſentur, tœdioſum quippè eſſet, Crambem biſcoctam proponere, ſed quæ quotidiè ob oculos verſantur in hac Mundiali ſcena, illa de elementorum quatriga nobis ſignacula portendent. Nam cum videamus totum hunc viſibilem Terrarum Orbem quatuor elementis veluti quatuor generalibus partibus compoſitum, ſatis hoc ipſum indigitat, omnia in eo contenta ab elementis mirabili, ineffabilique mixtura, & contemperatione eſſe compoſita.

Senſibus enim mundus apparet aſſidua circumvolutione revolvi circa ſuum cardinem, nimirum terram, quam circa veluti quoddam centrum cætera tria elementa inceſſabili rotatu volvuntur; Et quibuſnam argumentis efficacioribus demonſtrare debebo, quæ ſenſus ipſi evincunt? an non terram, & aquam videmus? an non aerem ampliſſimum iſtud ſpatium ſupra terrenum globum explentem haurimus, & ſpiritu ducimus? Quis ignis vim

non

non videt, & ſenſit? dum opus non eſt hodie, ut illum videamus ò Recentiores cum Elia 2. Regum exclamare. *Si vir Dei ſum, cadat ignis de Cœlo, & devoret vos*: An non quotidiè experimur frigiditatem, humiditatem, caliditatem, ſiccitatem filias primogenitas elementorum? Libenter ipſe audirem hæc aliquem veſtrum non credentem, ut mihi locum indicaret, ubi ſibi viſa reſideant corpuſcula elementis ſubrogata: ubi locorum lateant particulæ: Ex quo Iliado emergant atomi: A quo creatæ conſurgant, ut valete tandem, corpora noſtra dilecta, illis dicamus. Terram, aquam, ignem, aerem ubique videmus, calidum, frigidum, humidum, ſiccum quotidie patimur; E contra veſtræ particulæ oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient; manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt.

Et re vera ſi chimicam reſolutionem, in qua tantopere nonnulli confidunt, attendamus, elucent quoque quatuor elementa, quæ in hoc Orbe terrarum ſe communi omnium viſioni objiciunt, & ipſa quotidiana metereologica oſtendunt, niſi ad evidentiam, reductivè tamen elementa credenda ſunt. Accedamus ergo ad chimicam analyſim, & obſervemus, omne cum Chimicis miſtum reſolvi in aquam, oleum, ſpiritum, ſulphur, cineres, ſalem, in quibus emicat ſingulorum elementorum prævalentia, & dominium, ut in ſale terra eſt, & ignis cum aqua; ſiquidem per ignem mordet, per aquam crepitat, per terram aduſtam ſapit, & ſolideſcit. In oleo ignis prædominatur, & aer cum aqua: In ſulphure ignis, & aer cum terra: In ſpiritu aer, & ignis cum aqua. Demum in aqua aqueum elementum, & nonnihil terræ. Præterea cernimus oculis oleum, ſulphur, & ſpiritus in

igrem

ignem reſolvi, ſi in aerem reſolvi non cernimus, quid mirum, cum neque hunc aerem, quem ſpiramus, cernere poſſimus. Terram, & aquam inſipidam reiteratis alembici operationibus Chimicos elicere, experientia teſtis eſt.

Si verò ſpiritus, aqua, ſal, & ſulphur diverſam redoleant aliquatenus naturam, non ab re, quia in attritione, & mutua penetratione elementorum innatam formam, ſeu figuram amiſerunt, quam ad priſtinam redire connaturalitatem, admodum difficilè eſt, quæ enim Deus, & natura conjunxit, homo non ſeparat, quod mecanico patet experimento in panificio, panis porrò conficitur ex farina, & aqua intimè mixta, ſed quis in Chimiæ magiſterio perfectus elicere ex pane aquam, & farinam ſatis erit? Sufficit igitur ad probanda elementa, Chimicorum principia eſſe ipſis quam proxima, & analoga, ac ineſſe quandam analogiam, &·ſymboliſmum ad ipſa tendentem, ut animus veritatis amator acquieſcat.

Denique connectens cum dicto ratiocinio Divina Oracula, probationem concludo, Deum quatuor tantum litteris denominari voluiſſe ab omnibus Nationibus, ac per Proceres Iſdraeliticos quatuor componi vocabulis, אדני nempè *Adonai*, ut generalem quatuor elementorum notitiam nobis oſtenderet, quod confirmatur aſſumptum à Magno Gregorio Niſſeno ſerm. de Imagine. Et Nicolaus de Lyra Ord. Min. ideò affirmat, ex latere Chriſti exivit ſanguis, & aqua, ut denotaret, verum corpus habuiſſe ex quatuor elementis conflatum contra hæreticos, qui dicebant Chriſtum habuiſſe corpus cœleſte.

Reintegratis igitur elementis in poſſeſſione compoſitionis corporum naturalium pro clariori intelli-

telligentia ſubnectere cenſui, quod ſi primo Lectori placeat, Cœlum pro aere ſumere, ut fecit D. Aug. lib. 7. de Civ. Dei c. 6. & paſſim in ſacris paginis Cęlum pro aere ſumitur, ut *volucres Cœli*, ſcilicèt aeris, *dabo vobis Cœlum æneum*, nimirum aerem ſiccum ſine pluvia, ſicuti etiam apud nonnullos Patres Cœlum pro igne ſumitur, ut quoque fecit Plato compend. in Timeum cap. 25. quia circulariter movetur, & lucet, ſive etiam lubeat, ignis elementum ſentire totum à Sole profluere, ut Magnanus, & alii putantes Solem puriorem ignem, cum his libentiſſimè conſentio.

Secundò: Si Recentioribus arrideat, & doctioribus Viris non diſpliceat conſiderare quatuor elementa tanquam materiam univerſalem quo ad minima phyſica, & ſubtiliſſimas particulas, in quibus entitas elementaris conſervetur pro compoſitione corporum, ut primum omnium intellexiſſe legimus Empedoclem, qui ex quatuor elementis ad minima diviſis, ſibique mutuò appoſitis mixta fieri docuit, in quo ſenſu Daniel Sennertus hypomn. 3. de Atomis cap. 1. plura ſcripſit, hanc opinionem æquo animo amplector, cum nulla mihi videatur habere repugnantia cum Codice Divino, dum quatuor elementa à Deo creata ſupponimus materialia, & diviſibilia, ac infinitam ſubſtantiam corpoream atomorum indiviſibilium ab Atomiſtis admiſſam excludimus, quam ex ſomniato Chaos, ſeu Abyſſo proſilire autumant contra ſenſum Sanctorum Patrum, & Orthodoxæ Eccleſiæ, ut jam præcedenter firmavimus.

Tertiò: Si volumus hæc minima componentia quatuor elementorum vocare atomos, ſeu particulas elementares non impatibiles, & immutabiles, quia ſatis noſter Galenus lib. de elemen. cap. 1. ex

Hi-

Hipocrate, & Ariſtotele, ſuiſque rationibus abſurdam corporum ex impatibilibus atomis generationem confutavit, liberum ipſe præſto conſenſum.

Quartò: Si ut proximiùs accedamus ad phyſicam medicam admittere volumus alias atomos ſimilares, & ſecundarias à quatuor elementis primo factas, & ab ipſis tanquam matricibus provenientes, quæ in hoc mundi theatro elementorum morem gerant in corporum compoſitione, ac ab ipſis vario modo modificatis effluvia, odores, aliaſque corporeas qualitates effluere, ad rerum naturalium faciliorem explicationem valdè conducere arbitror; ſed hujuſmodi atomi, ſeu particulæ non erunt neque principia, neque elementa, ſed principiata, & elementata, ut clariùs dicetur in Scrutinio contra principia chimica.

In quo ſenſu Galenus 8. de elementis Hipocratis, animalia generari docuit ex elementis multis mutationibus intervenientibus, & Hipocrates Medicorum Romulus lib. de natura hominis, ac alibi centies recenſivit quatuor elementa prima corpora rerum, deindè ad proximiora deſcendens lib. de Veter. Medic. promulgavit: *Quæ ex terra oriuntur, & in ea conſeruntur, ubi terram ſubierint, eorum quodque trahit, quod ſuæ naturæ accommodatum in terra ineſt, ineſt autem acidum, & amarum, & dulce, & ſalſum, & cujuſque modi.*

Quintò: Animadvertendum tamen eſt circa hæc elementa ſecundaria à primis exorta, quod lepidè dicebat Billichius de his loquens: *Hanc gratiam à pullis referunt matres, ut quos in lucem ederint, eorum petantur calcibus*, ſic primis accidit elementis, quæ contemnuntur, & ſecundis admiſſis, tranſeunt in oblivionem, quapropter Lectorem admoneo, ne principalibus relictis acceſſoria, & bigama quærat

ele-

elementa, mentemque obtenebret in tot, tantiſque particulis tanquam primis principiis, quorum natura, figura, numerus, & magnitudo non à philoſophia, ſed à phantaſia Recentiorum dependet.

Neque ad elementa ſpernenda commoveantur ab illo argumento à Galeno Comment. de natura hominis recenſito, ubi inquit: *Sed iniquè aliquis poſtulabit, ut ſecernat, oſtendendo in nobis aquam, ignem, aerem, terram, ſimile enim hoc eſt, ac ſi voles in medicamento tetrapharmaco vel ceram, vel picem, vel reſinam puram, ſinceramque oſtendi, aut iis, qui nequeant oſtendere, non concedas, ex his ipſum eſſe compoſitum, nam dum quatuor contemperari dicuntur, nullum ex his ſincerum eſſe, oſtenditur*. Et re vera ſi per intimam elementorum mixturam in unam diverſam naturam contemperari dicimus, quis ſeparabit ignem, quis aquam? ſi in medicamento tetrapharmaco ſinceram picem, ſive reſinam ſeparare nequimus?

Contemplare quæsò, amice Lector, quid operentur unio elementorum ad mutuum contactum, eorumque inteſtina miſtura, qualeſque mutationes per varias ſubeat miſtiones in cibo v. gr. olerum, quæ per plures aſſumantur dies, horum ſuccus eſt viridis, in ſtomacho animalium albeſcit, in ſanguinis circulo rubeſcit, iterum in teſtibus albidus, & ſpumoſus evadit, ex illo ſpiritus lucidi animales, & vitales eliciuntur, tranſit in cambium, rorem, glutinem, tandemque in carnem, in oſſaceum incrementum, & uno verbo dicam, in naturam omnium partium corporis, & tamen quis mente concipere valeret, hunc ſuccum viridem Briareum in centenas abire mutationes, propter variam alterationem, fermentationem, poſitionem, & penetrationem? Cur hæc accidere poſſe non concedimus

mus in miſtione quatuor elementorum, quæ ſunt Magni Artificis ita dirigentis, componentia?

Qua de re optimè loquutus fuit Harvejus ſubtiliſſimus naturæ obſervator exerc. 70. de calido innato dicendo, quod corpora omnia naturalia duplici ratione conſideranda veniunt, vel prout illa intra propriæ naturæ ambitum compræhenduntur, vel prout inſtrumenta ſunt agentis cujuſdam nobilioris, & ſuperioris poteſtatis, cujus ſi ſint inſtrumenta, & ab illo regulentur, non jam ex natura propria operantur, ſed ex regimine alterius; ideòque corpus aliud, & Divinius participare videntur, vireſque elementorum excellere.

Mundus enim inferior ad mentem Ariſtotelis ſuperioribus lationibus adeò continuus, ut omnes ejus motus, & mutationes indè originem ſumere, & gubernari videantur: Profectò in mundo iſto, cui ab ordinis pulchritudine nomen eſt, res inferiores, & corruptibiles ſuperioribus aliis, & incorruptibilibus ſubſerviunt: Omnes autem ſummo Omnipotenti, atque Æterno Creatori & ſubſunt, & morem gerunt. Quis enim rem nullam ex elementis compoſitam ſupra horum vires operari poſſe cenſebit, niſi ſimul de alio corpore, & quidem ſuperiori magis participet? & tamen quis non videt, vix ullum corpus elementare inveniri poſſe, quod in agendo, vires proprias non ſuperet? Undè poteſt parvum ſemen terræ commiſſum ex ſe vegetando, aperiri in folia, ramos, & radices? diſtingui in tot filamenta, quæ arteriarum, & venarum vicem gerunt? ſtatis temporibus floreſcere, fructificare, ac analogum ſibi ſemen producere? hæc quidem tam ordinatim peragere minimè poterunt mentecapta elementa, ſeu diverſæ particulæ, ſeu volatiles ſales, niſi à Summo rerũ Arbitro prima cauſa moveantur.

Et ne longè quæram, quod ubique obvium eſt, quid aqua torpidum naturę elementum, quid ignis omnium deſtructor poterunt ex ſe? quid verò admirandum non peragunt, cum ab homine rationali diriguntur? Nonnè humanis opibus aqua navigia ad extremos Indos circumfert, novos detegit Orbes, moles movet, tympanum, cymbalumque pulſat? Ignis naturæ deſtructor manuductus ab homine quot, quanta non efficit in culinis, in officinis metallicis, & chimicis, ſublimando, fundendo, corrumpendo, diſſolvendo, coagulando? Quod ſi ex artis dominio, & gubernio tam præclara quotidiè ſupra elementorum vires efficiuntur, & hominibus ſerviendo tam ardua præſtant; quid quæsò ab his expectabimus, ubi inſtrumenta fuerint in manu Dei naturæ Authoris?

Ipſe omnipotens ſua admirabili, ineffabilique ſapientia elementa diſponit, ipſis utitur, & accomodat ad manutenendam rerum creatarum durationem, & regenerationem, & ſine Creatoris lege nihil prorſus agunt, nihil operantur. In cujus aſſertionis matura contemplatione benignum Lectorem relinquo, ob ſuperandas omnes difficultates, quæ illi occurrent in corporum naturalium compoſitione à quatuor elementis facta, juxtà ſenſum communem Sanctorum Patrum, dum ipſe propero ad alios Recentiorum errores confutandos.

SCRUTINIUM III.

Recenſentur aliæ novæ abſurditates Recentiorum circa Elementa, ac circa humani Corporis fabricæ compoſitionem.

PErbellè monebat Galenus Medicorum magiſter, quod *ubi falſæ opiniones animos hominum*

inva-

invadunt, non ſolum ſurdos, ſed cæcos faciunt, hæc enim eſt malorum Ilias, ut ſit veluti quædam catena multa alia ſecum connectens, atque conſocians: Ita prorſus contingit in caſu noſtro, ubi non fuerunt contenti Recentiores Medici pſeudochimici vale dicere quatuor Elementis in Sacro Senatu ſelectorum Patrum admiſſis, ſed ut animadvertit Sennertus de conſ. & diſſenſ. Chimic. de elem. cap. 8. *Elementa in ſcholis recepta ab omnibus Theologis vituperant, ut corpora mortua, arcanis carentia, nihil niſi relollaceas, & paſſivas qualitates poſſidentia, vilia, & ſervilia pecora, eoſque, qui his inhærent Corticem, & Siliquas pro nucleo, veſtem pro Matrona, aerem prc Junone, Ancillas pro Domina amplexari dicunt.*

O indignæ, & blaſphemæ contumeliæ inſanientium virorum? Elementa vocatis mortua, vilia, & ſervilia pecora, in quibus ſplendeſcit omnipotentia, & ſapientia ſummi rerum Conditoris? Nonnè cedunt hæc elementorum improperia contra Authorem naturæ Deum, qui, ut ait Sacer Hiſtoricus, *vidit omnia, quæ fecerat, & erant valdè bona?* Si bona valdè erant, cur per vos vilia, mortua, & ſervilia, arcanis carentia! dum bonum ex integra cauſa, malum ex quocumque defectu juxtà Divi Aquinatis ſententiam?

Debebat ignis corruſcantis nitor veſtras illuminare mentes, aer veſtras ventilare inenias, aqua ſordidas opiniones abluere, veſtriſque terra chimeris ſtabilitatem præſtare, vel ignis veſtra ſcripta comburere, aer vento rapere, aqua demergere, terra in oblivione confodere, quo vobis oſtenderent, non eſſe elementa mortua, & virtute, ſive arcanis carentia.

Quo verò ad humani corporis fabricæ compoſitionem præmiſimus jam quæſitum Doctiſſimi Pe-

rerii Sacræ Geneſis interpretis, numquid præter quatuor elementa aliquid ex quinćta eſſentia, vel ex natura Cœleſti veniat in compoſitionem corporis humani, reſpondetque, eorum, qui id aſſeverant opinionem, eſſe ſanæ doćtrinæ contrariam à Theologis damnatam, & à Philoſophis tanquam pueriles nugas, & aniles fabulas deriſam, & exploſam, adducens rationem, quod quia eſſentia poſſit eſſe incorruptibilis, & ſic cum re patibili, & corruptibili humani compoſiti connećti nequeat.

Vide igitur amice Lećtor, quam longè diſtet à germano veritatis ſenſu tota Recentiorum Schola, & quam impias, & abſurdas opiniones contra ea, quæ dixit Moyſes, dićtante Spiritu Sanćto, non ſine magna Divini Codicis adulteratione, in phyſica propalet. Nam nil familiariùs in vocabulario moderno, quam, fac̄o ſermone de corpore humano, recenſere particulas balſamicas, ſulphureas, mercuriales, ſales volatiles, fixos &c. ac ſi humanum corpus evaſiſſet hodie mineralium fodina perenniter duratura, & non eſſet amplius hemina una ſanguinis (ut dicebat Lypſius) quam quilibet caſus, aut quælibet levis febricula corrumpit; pro qua re dicebat D. Paulus, nos habere theſauros in vaſibus fićtilibus, nimirum animam in fragili elementorum compoſito reſtrićtam.

Sileat ergo, ò Recentiores, veſter Paracelſus, qui non erubuit conſtituere homines quinćteſſentiales, & aſtrales habentes elementa tantum pro indumentis, & operimentis; ſileat inquam Petrus Severinus, qui hominem facit eſſe ſubtiliſſimam eſſentiam totius machinæ mundialis in unum corpus extraćtam, ſeu quinćtam eſſentiam ex firmamento, & elementis elicitam, ac completiſſimam mundi imaginem; ſileant tandem tot alii aſſerentes

cor-

corpora noſtra non ex elementis, ſed impatibilibus atomis ab elementorum natura, & eſſentiis planè diverſis conſtituta, dum indecens eſt inter Chriſtifideles, hæc abſurda recolere, & propalare, cum fidei lumine credamus formatum eſſe hominem ex aqua, & terra, nimirum luto, in cujus formatione alia duo interfuiſſe elementa, tota orthodoxa Patrum antiquitas docuit, & mentionem fecimus in præambulo hujus noſtri tractatus.

Nec unquam meminit Moyſes in Campo Damaſceno ſumptam eſſe per rerum Conditorem ſubtiliſſimam Mundi eſſentiam, ſeu phantaſticam quinteſſentiam ex firmamento, & elementis, nec inſuper meminit, ad imaginem mundi feciſſe hominem, ſed docuit ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quę imago, & ſimilitudo conſiſtit in Anima, ut notat Lyranus in Geneſ. 1. & ratio ipſa perſuadet, nam ſicut Anima replet totum corpus, ita Deus totum mundum, ut Hierem. 23. *Cœlum, & terram Ego implebo, dicit Dominus*, item ſicuti Deus unicus eſt in ſæculis, ita unica Anima in ſuo corpore; Deus videt omnia, & non videtur, ut Exod. 33. *Non videbit me homo*; ita anima videt exteriora, & non videtur. Deus non dormit, juxtà Pſalmum 120. *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael*; ita nec anima dormit in corpore, adeò ut ad imitationem Dei immortalis mundum regentis, moderantis, & providentis, corpus & ipſa regat, provideat, & adminiſtret.

Cæterum, ut finem ponam huic ſcrutinio, adeò verum eſt, quod homo non componatur à chimericis quinteſſentiis, & particulis, ſed à quatuor elementis, ut videatur elementum ignis caloris nimirum nativi in corde, juxtà Hipocratem lib. de corde num. 5. *Cor ſanguinis eſt fons, atque caloris.*

innati: Aeris elementum in pulmonibus, Aquæ in vaſis lymphaticis, Terræ in ventriculo, ut annuit Hipocrates dicens: *Qualis terra arboribus, talis venter hominibus*, quibus veluti ſignis in Taberna appoſitis in cognitionem devenimus, corpus iiſdem conſtare elementis, quibus præfiguratur.

SCRUTINIUM IV.

De principiis Chimicis elementorum loco ſubrogatis ineptis, & inſubſiſtentibus, ſtabili ratiocinio experimentali rejectis.

PArum nobis eſſet, humaniſſimi Lectores, ſacris authoritatibus,& firmis rationibus reintegraſſe in rerum poſſeſſione quatuor elementa, niſi pro viribus chimica principia, quæ ipſis excidium, ruinamque minarunt, à republica litteratorum in exilium projiciamus, quod ut facilius obtinere poſſimus, hæc tria antemuralia præmittenda ſunt, antequam ad ſingulorum trutinam deſcendamus.

Primò: Quod Chimici non conveniunt circa numerum eorum principiorum, quod evidens erit argumentum eſſe potius ſpargirica arte factitia, quam realia, & ſimplicia, ut decet eſſe principia.

Secundò: Demonſtrabimus modum eductionis, & demonſtrationis à Chimicis factæ de principiis mediantibus gradibus ignis eſſe fallacem, cum ab ipſo alterentur, & commutentur particulæ elementorum componentes, adeò ut diverſam, quam habeant, redoleant naturam.

Tertiò: Quod admiſſis hujuſmodi principiis, nulla melior ſequatur explicatio rerum naturalium, ut ſibi perperam perſuadent Medici chimicaſtri, qui ut plurimum ex hac cauſa recedunt à pla-

placitis Galeni, & Ariſtotelis vetuſtate ſæculorum confirmatis, ut paſſim apud ipſos videre eſt.

Quoad primum voluerunt vetuſtiores Chimici Petrus Severinus, Beguinus, Paracelſus, Daniel Sennertus, & alii, tria eſſe principia chimica ſal, ſulphur, & Mercurium, quibus Recentiores Chimici ſuperaddunt ſpiritum, & terram, ut Thomas VVillis cum Villiſianorum phalange: Helmontius verò omnia reducit ad unum, nimirum ad aquam, ut prius inter Antiquos annuit Thales Mileſius. Alii Chimici ſtatuunt quatuor principia, modò quinque, nempè acidum Alchali, ſulphur, phlegma, & terrã, ut in libello anonymi Authoris cujus titulus eſt *de ſaggi anatomici*. Tandem invaluit Tachénii ſententia, omnia per omnimodam reſolutionem ad duo redire elementa, nimirum Acidi, & Alchali, quæ omnibus mixtis inſint, & cauſa fermentationis exiſtant: nec ullus denique Philoſophus Chimicus comparet in ſcena, qui nova non ſibi fingat principia à mixtis per ignem educta, quaſi ut immenſa providentia Dei confuſionem Babelicam in eorum linguis immiſerit, ad eludendos temerarios conatus alienos à Sanctis Patribus, & Sacra Scriptura, quæ eſt Dux fideliſſima veræ ſcientiæ.

Dicite mihi quæsò cari Philoſophi Hermetici, undè nam tanta diſcordia venit? undè emergunt tot opiniones diverſæ? Si prætenditis philoſophicum Cœlum à veſtris ignibus fuiſſe illuminatum, ac evidentiſſima demonſtratione vincula rerum diſſolvere, & primæva elicere componentia? Cur omnibus mens una non eſt, cur variat demonſtratio? Dum omnium Chimicorum univerſale diſſolvens eſt ignis, eſt idem artificium, & magiſterium, eadem ſunt corpora diſſolubilia, eodemque modo poſſunt eſſe fornaces, & conſequenter eadem de-

 berent

berent elicere elementa, ac ita diſcordes componere lites; patet conſequentia ab exemplo, Qui enim ſcit, v. gr. quibus rebus horologium componatur, habet exploratum, quot rotulæ, quot machinæ pro illius compoſitione ingrediantur, notumque paritèr eſt illi, quomodò diſſolvantur, & ſeparentur, & indiſcriminatim omnes Artifices id ſciunt, ſic pari paſſu ſi vera eſſet ſententia de Chimicis principiis conſonantia in Chimia periti Viri ſeparare, ac demonſtrare deberent elementa.

Verùm enim verò cum æternæ veritatis exiſtat, quod Deus, & natura conjunxit, hominem in vera principia ſeparare non poſſe, ideò irriti conatus, improbi labores, & quæ putant eſſe principia, ſunt elementorum compoſita, ac de natura totius participant; numquid durum vobis videtur, quod hæc à me proferantur? motos componite animos, dum ipſe armis à veſtris Chimicis corripheis deſumptis vobiſcum digladiabor, *Beguinus* non obſcuri nominis Chimicus differens de veſtris principiis Tyrocin. lib. 2. cap. 6. hæc ipſa protulit: *Sal conſtat ex partibus diverſis terrea, ignea, & aquea, conſiſtentia, & ſoliditas a terra, liquabilitas ab aqua, mordicatio ab igne*. Si igitur in veſtra philoſophia principia ſunt, quæ fiunt ab aliis, ac ab alterutris, tanquam cœmenta ædificandæ domus, ipſe ſermonem obtrunco, & vos Judices conſtituo.

Quoad ſecundum noſtræ probationis argumentum ſub cenſura cadit modus diſſolutionis principiorum factus per ignis gradus, quo mediante partes componentes diſſociantur à naturali ſodalitio, propriam figuram amittunt, novum contextum ſuſcipiunt, ac inveſtitura tertii corporis infeudantur; experimentum incontrovertibile eſt primò in ſapone, ex quo conſpicuum fit, veram eſſe ignis alte-

alterationem in divellendis, ac ſejungendis miſtis. Cuilibet jam notum eſt, confici ſaponem ex oleo, vel pinguedine, aqua calcis, aliiſque materiis ſalinis, quibus impregnata eſt aqua, quæ omnia in unum coaleſcunt beneficio ignis; aſſumatur inde idem ſapo, retortæ ad inſtillandum imponatur, & prodire obſervabis oleum acre fœtidum valdè ab eo diſcrepans, quod ad ſaponis compoſitionem uſurpatum eſt; & ne concidat fides, vide hujuſmodi experimenta in Zodiaco gallico prim. part. cap. 2. & ratio ſuadens eſt, quia ignis celerrimi motus elementum dente voraciſſimo multa abſumit, & in nihilum redigit, juxtà illud *ignis conſumens eſt*: alia multa per vim diſſoluta inſimul congrediuntur, ac proindè confusè commiſta, prima eorum amiſſa figura, redolent tertium quid, ac tandem ex hujuſmodi incongrua mixtione novæ emergunt productiones planè diſſimiles iis, quas natura perfectò miſto indiderat in ejus formatione, & incongruè principia à Chimicis nuncupata.

Eluceſcit ſecundo hæc ignis alteratio quotidiè in pane, quo veſcimur, qui coctus in Clibano mutatur quoad pondus, quoad colorem, odorem, & ſaporem, ac dum prius incoctus ponderoſus erat, mollis, quaſi inodorus, albicans, & inſipidus, coctus levigat, dureſcit, olet, obfuſcatur, & ſapit; ſi ergo tanta mutatio in panificio igni non tam violento expoſito, quid indè fiet in violenta corporum diſſolutione ſivè per deſtillationem, ſivè per combuſtionem? Vide quæſò, candide Lector, quot flagellis ſal è vegetabilibus eliciatur, dum planta comburitur, ejuſque cineres calcinantur, vel in retorta ponitur ad deſtillandum, & ſubjectis igniculis maxima divulſione partes illius plantæ diſſociantur, ut radicalem gemat humorem. Quibus

bus perpenſè conſideratis, ſi ab ignis activitate mutationem, diſſipationem, & alterationem fieri neges, impius eris veritatis contradictor, & ſi mihi de Chimia non bene merito deroges fidem pręſta fidem Helmontio, qui tit. Blaſ.humor.not.18. hæc in teſtimonium profert: *Quæ alias volatilia erant, fixa evadunt, deſinuntque perſpirabilia eſſe, ſi igni expoſita fuerint*, & paulò inferiùs addidit: *Id manifeſtum eſt in ſanguine, qui volatilis eſt, ac inſenſibiliter per poros nulla ſui parte ſuperſtite reſolvitur; Interim ſi comburatur, plurimum ſal fixum in illius cineribus deprahenditur*. En igitur quod ipſe Chimicorum corripheus demonſtrat ignis alterationem tam quoad diſſipationem, dum volatilitas, quæ erat in ſanguine, in nihilum abit, quam quoad mutationem, dum ſal ſanguinis volatilis in fixum transmutatur.

Sed ne dubitandi locus remaneat, authorizet noſtrum aſſumptum obſervatio celeberrimorum Medicorum in Zodiaco gallico part. 1. cap. 3. ubi inter alia adducitur fides quorundam Chimicorum de ignis effectibus dicentium, quod ignis certo gradu adhibitus vegetabilium cineres vitrificare valet, & minori vehementia agens ſal alchali producit, ſi ergo quis ſtatuere vellet, ſal fixum in miſto præſtitiſſe, numquid eadem ratione aſſerendum, vitrum quoque in illo prius extitiſſe ignis ope eductum?

Hanc tandem ignis alterationem tertiò probamus in ligno guajaci, hoc uſtum in igne diſperditur in cinerem, & fuliginem, idem lignum in retorta deſtillatum largitur oleum, ſpiritum, acetum, aquam, & carbones, ſic de camphora notat Boyles in perſona Carneadis Chimici Sceptici, quæ accenſa fumus in atram, & unctuoſam fuliginem condenſatur toto Cœlo diſcrepans à camphora

circa

circa odorem, aliaſque proprietates; unde confitendum eſt, quod licèt multa ſeparentur in tria, vel quinque pratenſa principia, non propterea partem ſimilarem componentem obtinent, nec eſt improbabile unam, eamdemque materiæ univerſæ portionem variis alterationibus, & mutationibus eo poſſe redigi, ut nomen interdum ſulphurei, interdum terrei, aqueique corporis mereatur, quia cum omnia componantur quoad materiam ex quatuor elementis per varias texturas, motus, & formas acquiſitas per varias miſcelas, & partium minimarum poſitionem, ita etiam non repugnat à motu igniculorum ſcindentium poſſe deſinere diſſociata compoſita in recenſita Chimicorum principia, quantumvis nulla ſit miſti corporis minima portio, quæ omnia, & ſingula elementa non contineat propter mutuam penetrationem, eorumque perfectam unionem, ad cujus diſſolutionem ars Chimica pervenire non poteſt.

Quoad tertium probationis argumentum fallere vos mihi videtur credulitas, melior ſuboriri phenomenum naturalium explicatio ex receptis chimicis principiis, ut annuit inter cæteros Sennertus de diſſenſ. & conſenſ. Chimic. cum Galenic. qui dari dixit principia chimica de ſale, ſulphure, & Mercurio, tanquam proximiora, & propriora à primis tamen elementis deducta (quod utinam in confeſſo eſſet apud omnes) eo quia ſapor, odor, & color melius, & adæquatè per principia chimica explicentur; verum ſi tot nova principia, vel elementa forent conſtituenda, quot qualitates ſupra quatuor elementorum, & principiorum etiam chimicorum conditionem inveniuntur, innumera eſſent ponenda, neque noſtra quatuor, neque tria, vel quinque Chimicorum unquam ſufficerent.

Nam

Nam ſi omne id, quod eſt in miſto, in aliquo, vel quolibet elemento eſſet, fruſtranea foret miſtio, & compoſitio, & principium internum rei ſpecificæ, & determinatæ à prima cauſa commotum nihil operaretur. Res quippè miſcentur, ut novæ ſuboriantur vires, quæ non erant in ſimplici. Sed ut hæc deluſio à Chimicorum mentibus deleatur, properare fas eſt ad rerum naturalium explicationem.

§. I.
De vi magnetica.

ET primò virtus tractiva ferri in magnete veriſſimum eſt, quod in peripateticis non reperitur principiis, ſed neque in Chimicis adumbratur, ſi verò dicatur (prætermiſſo principio interno nobis ignoto) turbam corpuſculorum uncinatorum à magnete verſus ferrum proſilire, quibus aer vicinus commotus, impellatur & ferrum magnetem verſus, quid prohibet hujuſmodi corpuſcula, elementaria, vel elementata non eſſe?

§. II.
De vi humorum purgativa.

VIs purgativa medicamentorum in Galenicis principiis non reperiri fertur à Chimicis, verumtamen in eorum principio ſalino humorum fuſivo ſatis evidenter apparere, licet inter ipſos Quercetanus in reſponſ. ad anonymum cap. 8. dicat non eſſe in ſale, at in ſpiritibus Mercurialibus, & arſenicalibus. Sed hæc fallacia ſtatim detegitur, eò quia ſi humorum purgatio à principio ſalino dependeret, quodlibet ſal etiam commune humores funderet, atque purgaret, ſic ſal cicoreæ, abſin-

ſinthii, rutæ caprariæ, aliorumque vegetabilium, rhabarbari ſalis ad inſtar corpora purgaret, quod tamen contingere non obſervatur, & ſi contingere fortaſſe potuiſſet, ſupervacanea foret tot purgantium ex elementis productio: Quinimmò Mercurius præcipitatus nullum habet ſal, & tamen validiſſimè purgat, quod ſatis eſſet, ad omnem referendam victoriam, & adverſarios vincendos.

Undè vis illa humorum fuſiva, ſeu purgativa emanat ab illo vegetabili purgante à quatuor elementis producto, & tranſmutato in illam partium configurationem degenerem, & repugnantem humorum, & partium corporis temperiei, à qua diſſimilitudine naſcitur extranea fermentatio in humoribus, & fit de ipſis ſeparatio, & dejectio.

Quantum autem poſſit diverſa partium componentium poſitio, exempla ſint illa quaſi venena, quæ in corpore gignuntur à depravato ſanguine, & ſemine, quæ in debita ſimetria conſtituta, primus eſt vitæ animati corporis nectar, alterum humanæ vitæ balſamicum extractum pro ſpeciei conſervatione, ſi autem a ſua optima craſi decedant, & putreſcant, ſecernendo, & mutando primam partium combinationem, quot affectiones, & paſſiones, quot mortis tragedias inter viventes non edunt? pervertentes æqualem fluidorum miſcelam, inducentes præternaturalem fermentationem, & tandem corporis viventis internicionem. Undè autem hoc, niſi ab acquiſitis qualitatibus univocis cum venenis, & diſſimilibus, & extraneis cum armonia fluidorum corporis, cum quibus non conveniunt!

§. III.

§. III.
De Saporibus :

INſiſtunt Chimici : omnis res eſt ſapida propter ſalem, quia ſal eſt primum ſapidum, & guſtabile, ſed ſi aliquis retorqueret argumentum, ergo omnis res inſipida, carere debet principio ſalino, inter anguſtias Chimicos poneret, quia ſi ſal eſt principium, debet eſſe univerſale, & communem mixtis porrigere materiam.

Deinde ſi vos Chimici omnem ſaporem à ſale deducitis, quomodò ab hoc uno principio ſalino contrarii ſapores dependent, dum effectus contrarii emanare nequeunt, niſi à pluribus principiis, ſapor enim dulcis contrarius eſt amaro, ita ſalſus, acidus, acerbus &c. diverſi ſunt ſapores, qui univocè ab unico fonte promanare non poſſunt. Undè credibile magis eſſe puto excitari ſapores in guſtu à corporum varietate promoventium varias titillationes, & motiones fibrarum nervearum in guſtus organo exiſtentium modo blandas, & circulares, ut in re dulci, modo auſteras, & adſtringentes à re, quæ præſſionem facit; modo acidas à re acuta, & pungente, & mille alias juxtà diverſas ſtructuras compoſitorum fibras ſupradictas proritantium, in quo aſſentiri videtur Plato, quando de ſaporibus loquebatur, dicendo *ſi ſit moleſtus in guſtus ſtructura vimfacit, & ſcindit, nec bene ſtructuræ adaptatur, ſi ſit ſuavis mulget amicabiliter, & naturalem ſtructuram in ſuo eſſe linquit*.

§. IV.

§. IV.
De ſoliditate rerum.

PRætereundum non eſt, quod in ſententia Chimicorum ſal quoque ſoliditatem rebus impartitur, ac ideò pro principio ſit ſtatuendum; ſed tantum abeſt, quod ſoliditatem rebus conciliet, ut potiùs res omnes diſſolvat, ac Medici pro ſanguinis diſſolutione quotidiè propinant. Teſtimonium irrefragabile noſtræ aſſertionis ſint metalla, rerum omnium duriſſima, quæ ex repetitis chimicis experimentis nullum ſal legitimum præbent, ac ità fatentur periti, ſinceri que Chimici, etiamſi demonſtrent nonnulli Chimicaſtri concretiones aliquas ſalinas plenas fucis, & impoſturis, ut nuperrimè fuit detectum in novis animadverſionibus celeberrimorum Medicorum in Zodiaco gallico de Natura Alchali, & acidi par. 1. cap. 4. ubi experimentaliter oſtenditur, ſal à metallis neque elici, neque rerum principium eſſe poſſe, cum non ſolum in metallis prætenſum inveniatur principium ſalinum, ſed neque in margaritis, corallis, & oculis Cancrorum, quibus non deeſt ſoliditas, niſi forma aliqua ſalina ſpuria accedat mediante menſtruo ſpirituum corrodentium, ipſaſque partes integrantes diſſolventium, quæ una cum ipſis coagulentur, & naturam induant ſalinam, vel mediante igne, qui terreas partes in unum cogat, & aliquo modo ſalis configuratio emergat, talis autem modus elucescit in corallis ſale carentibus, & tamen per ſex dies reverberata ad ignem, ſalſa fiunt.

§.V.

§. V.
De Odoribus.

VOluerunt Medici Chimici à ſulphure tanquam odorum officina omnem proſilire odorem, & ſi hactenùs vigebat Ariſtotelis, & Averhois ſententia, quod nimirum odorum, & ſaporum unicum ſit objectum, quia quæ habent odorem, habent ſaporem, & quæ ſunt inſipida odore vacant, nihilominus in hoc fertiliſſimo ingeniorum ſæculo odorem à ſulphure ſuam proſapiam obtinuiſſe, detegitur. Sed ò bone Deus, undè nam à ſulphure fœtoris cloaca procedere poteſt odor, ſi nondum probatum vidimus, quod ipſum ſulphur etiam puriſſimum ſit per ſe compos odoris? ac ipſum aurum, quod puro ſulphure abundare creditur, nullum nobis odorem eructat? Imò ſi per impoſſibile concederetur Chimicis, quod ſulphur per ſe redoleret, numquid tanta odorum diverſitas ab unico ſulphuris principio provenire poſſibile eſt, dum nemo dat, quod non habet? & ſi haberet unum odoris genus eſſet.

Si verò clariori phyſiologia diceretur, quod odor juxtà recenſita peripatus placita ſit conſocius indiviſibilis ſaporis, & ſal ſulphuris commercium non abhorreat, ideòque ab utroque deducendum eſſe principio, non exindè animus veritatis amator acquieſcet, quia ſi odor ſalis conſortium habeat, & ſal acutis ſpiculis conſtet, ut perſpicuum eſt, tunc ſulphur ſale aculeatum fortius ſenſorium punget per nares, ſicuti facit fœtor, & loco blandæ ſenſationis moleſtam pariet titillationem; undè potiùs credibile eſſet, provenire odorem ex ſpirituoſa ſulphurea exhalatione ſenſus blandiente

abſque

abſque ſalis ſodalitio, ſed cur odorata res ſapit, ut autopſia demonſtrat, ſi ex ſpirituoſa ſulphurea exhalatione oritur odor? Undè concludendum eſſet, magis conſentaneum fore non tantum à ſulphure, ut chimici volunt, ſed ex miſcela ſalis, ſpiritus, & ſulphuris odores genus jactare ſuum.

Nihilominus neque hæc eſt ſecura via, quæ ducat ad veritatis templum, nam multa odorum genera his carere principiis obſervamus, & quatenùs non carere concederetur, nõ exindè credibile eſſet, tantam odorum varietatem à tribus his principiis profluere: Quamobrem mihi videor, non videre in principiis chimicis faciliorem rerum naturalium explicationem, quam quæ reperiatur in mixtione quatuor elementorum, ſivè particularum ab ipſis ſecundariò promanantium: Etenim benè æquè poteſt eſſe ex varia partium elementarium minimarum determinatione in rerum ſeminiis primò præſcripta à jugi rerum Patre provenire tantã odorum diverſitatem ſecundum variam motionem, & titillationem in proceſſibus cerebri mammillaribus nervoſis factam ex hujuſmodi exhalantibus particulis, à quibus diverſimodè Anima commota diverſos judicat odores.

§. VI.

Inflammabilitas propriè convenit igni, & non ſulphuri, ut volunt Chimici.

DEmum, poſtquam exauthorarunt ignem creaturam Dei, dixeruntque Chimici, ignem eſſe accidens, ſicuti multò antè præſcripſerat Thomas Fienus in apolog. adverſus Sanctacruz pag. 50. tunc ipſi tribuerunt inflammabilitatem decantato ſulphuris principio, ſed ipſos longè aberrare, ad evidentiam id præmonſtrat lucidiſſimum aurum,

aurum inquam Chimicorum Sol, metallorum rex, univerſalis medicinæ materia, magis tamen juvans in crumena, quam in corpore, quod in eorum ſententia puriſſimo ſulphure pollet, omnimoda tamen inflammabilitate caret: En ergo primò initiũ calamitoſum principii ſulphurei, cui reſpectu inflammabilitatis non competit jus in Regia ſplendidiſſima auri, in quo quæ dignitas major, ſine quo, quæ ruina deterior: Sic etiam prætenſa inflammabilitas eclipſatur in luna argento nimirum, ferro, aliiſque metallis; quin immò creſcit confuſio, & admiratio ex ipſis aſſertionibus Chimicorum dicentium, quod verum Chimicorum ſulphur reſpuit ignem, imò ſua tinctura ipſum extinguat, audite quæsò hanc contradictionem a D. GlucKradio in notis ad Beguin. Tyrocin. lib. 2. cap. 6. ubi hæc habet: *Vera autem olea, & ſulphur Chimicorum in ſua eſſentia ignem reſpuere, eſſe puriſſima, incombuſtibilia, adeòque ſpirituoſa, & ab omni ethereogeneitate liberata, ut nullam imprimant inflammabilitatem, quin potiùs eandem ſua facultate tincturali extinguant*: hanc vellem ſedulò doctrinam nullã explicatione indigentem perpendere Chimicos, ut ſua quid valeant dogmata, teſte probent.

Verum, inquiunt ipſi, ſpiritus vini, ipſa ligna, aliaque multa oleoſa, & pinguedinoſa in flammam erumpunt propter annexum ſulphur; ergo ſulphur eſt cauſa inflammabilitatis; ſed negamus ſuppoſitum, nam ſtipulæ ſiccæ, paleæ, fœnum &c. maximè ſunt inflammabiles, nec ſulphur in illis unquam demonſtrabile erit.

Ulteriùs deſumitur veritas, quod ſulphur per ſe non ſit ſubſtantia ignis, nec cauſa inflammabilitatis ex autopſia, ſiquidem dicunt Adverſarii, quod tandiù duret ignis conflagratio, quandiù manet ſul-

ſulphur in accenſo ſubjecto, ſed in confectione calcis omnes prætenſæ ſulphureæ particulæ deflagrarunt, ignisque manet extinctus, & per conſequens ad normam hujus theſis in calce amplius non deberet eſſe reperibilis ignis, atqui videmus, perfuſa aqua, ignem in flammam erumpere; ergò omninò fatendum eſt, igniculos ibi latentes inſurgere propter aquæ contrarietatem, qui invicem aggregati, facto agmine, in flammam erumpunt, verificando philoſophicum axioma: *omne contrarium vel vincit, vel vincitur.*

Neque recurrant Chimici ad ſomniatam Alchali, & acidi fermentationem, quæ hujuſmodi peragat, quia erit error pejor priore, nam mihi hic ſufficit, quod ipſe Tachenius Inventor in cap. 3. libri ſcripſit, quod decantatum *ſal Kali in rerum natura non reperitur, niſi Artifex id ope ignis produxerit*; & quod acidum in calce nō eſt aſſignabile pro prętenſa fermentatione ut clarius in ſequenti enunciabo.

Itaque ſtatuitur cum Philoſophorum veterum caterva à negato igne provenire inflammabilitatem, & minimè à ſulphure, quia (& eſt ratio fortiſſima) ejus ſpiritus maximè deberet eſſe inflammabilis, juxtà ſancitam regulam; *propter quod unumquodque tale, & illud magis*; ſed ex ſulphure ſpiritus acidus elicitur caloris, & ignis reſtinctivus, & per conſequens inflammabilitas non pendet à ſulphure per ſe ut ſulphure; ſed ex igne in eo inſpiſſato, ac irretito. In tantùm igitur Naphtha in diſtanti accenditur ab igne, & à Sole, ſic ſulphur, & omnia bituminoſa, quia ſciendum eſt, quod ex quadam fortiſſima aciditate, mole licèt parva, in dictis bituminoſis, & ſulphureis multum ignis conſtringitur, & includitur, ita ut fracto à Sole, ſivè ab approximata ignis ſcintilla obſtaculo, incluſus

liberetur ignis, ſuaſque exerat vires, id paritèr evenit in oleis, ſpiritibus, lignis, quæ multis ſcatent igniculis detentis à compedibus aliorum elementorum, à quibus facilè liberantur, ſi ab approximato igne convocentur ignis latentes particulæ. En igitur arcana inflammabilitatis cauſa, en tibi rerum naturalium explicata phenomena juxtà phyſicam ſacris dogmatibus conformem; remanet igitur, ut aliquid particulariter dicatur de ſingulis Chimicorum principiis, pro quibus ſit ſermo.

§. VII.

De ſingulis Chimicorum principiis una cum duobus erroribus in fine adnotatis, & confutatis.

HIc primò notandum eſt, quod hi noſtri labores parum pugnant cum nonnullis Chimicis, qui pro rerum principiis quatuor poſuerunt elementa, licèt ex illis impropriè diſceſſerint ad Chimica principia, ut inter illos fuit Sennertus, qui centies pro rerum principiis admiſit quatuor elementa, quamvis pro meliori rerum prætenſa explicatione chimica amplexus fuerit principia: Sic Paracelſus lib. de ridur. fol. 65. in Archidoxi, hominem aſſerit conſtitui ex quatuor elementis, ſed alibi paſſim ſibi contradicit, & tria recenſet chimica elementa. Porrò in Authoribus Chimicis ferè connaturalis eſt contradictio, vel quia caput excalefactum habeant ab igne, in quo quotidiè verſantur, aut quia profiteantur ſpuriam, infectamque doctrinam, quæ fructus conſtantes non producat ad inſtar terræ Sodomæ, & Gomorræ, cujus fructus in cinerem abire, narrant hiſtorici.

De Chimicorum inconſtantia olim conquereban-

bantur Sennertus, & Libavius dicentes, quod Chimici tali modo eorum principia diſtinguunt, ut nunc ſibi mutuò ineſſe dicant, & in ſale ſulphur, & Mercurium, in Mercurio ſalem, & ſulphur, & in ſulphure ſalem, & Mercurium, nunc verò vocant ſimplicia, unum ſeorſim ab altero, ſed excuſationem merentur, cum provida natura repugnet ſua arcana detegi, ac ea, quæ internè in unum conjunxit, per ſimpliciſſima principia ſeparatim dignoſci. Itaque noſtra conamina diriguntur præcipuè contra illos Chimicos, qui conſtanter tenent principia chimica eſſe ſimplicia neque ab aliis, neque ab alterutris facta, & ab ipſis omnia fieri, quæ quam elongentur à germano veritatis ſenſu, dignoſcere eſt in examine ſingulorum principiorum.

Et primò ſit ſermo de principio ſalino, ſal duplicis eſt generis factitius, & naturalis, naturalem natura produxit nunc ſincerum, nunc rebus permiſtum veluti in quibuſdam fontibus, & maribus: Factitius verò eſt, cum partes terræ aduſtæ, ita per aquæ miſtionem uniuntur, ut in unum corpus compingantur, propterea in igne crepitat propter aquam, ac in humido, frigidoque loco liqueſcit, quia ex ſiccante calore concreverat, ita ſal ab Ariſtotele nuncupatur terra aduſta, & ad hujuſcemodi factitii ſalis ſpeciem reducibile eſſe ſalinum principium, ſanè dignoſces, ſi hic connectes, quæ diximus in ſecundo probationis argumento.

Quamobrem non videtur ſanè mihi, ſal à Chimicis per ignem fabrefactum in principiorum numero collocandum ex duplici capite; primò, quia principia non ex violenta rerum per ignem, & flammam converſione ſunt æſtimanda, ſed ex naturali ſolutione, dum mixtum corrumpitur, & partes igneæ, aereæque exhalarunt, tunc in ſimo, &

terra putrefacta relicta, nullum ſal adeſſe depræhenditur, neque per viſum, neque per guſtum; argumentum evidens, quod ſalinum principium non aliundè procedit, quam ex calore igneo terreas partes urente, ac humido comiſcente.

Secundò: Ex chimicorum confeſſione deducitur, ſal non eſſe ſubſtantiam ſimplicem, ut decet eſſe principium, ſed corpus compoſitum, quamobrem adeamus Beguinum ſupracitatum in Tyrocinio Chimico pro expiſcanda hujuſmodi veritate, ibique obſervare eſt, ſalem conſiſtentiam habere à terra, liquabilitatem ab aqua, mordacitatem ab igne, in quo ſenſu loquutus paritèr Sennertus, dixit ſal eſſe ignem occultum, cum ignis effectus urendo, & ſiccando producat.

Ulterius blaterant alii Chimici oleum, & Mercurium in ſale ineſſe, & Quercetanus à ſale ſeparato à vegetabilibus docet, poſſe iterum elici ſulphur, & Mercurius, aliudque ſalis genus majoris energiæ. Siſte ergo mentem, amice Lector, in hac reflexione, quod ego non offero tibi authoritatem Galeni, Hipocratis, & Ariſtotelis, qui fidem mererentur quidem, ſed arma deſumo ex Authoribus Chimicorum Coripheis, quibus tanquam Judicibus in cauſa propria ſtandum eſt, juxtà regulam juris: *Peritis in arte ſua eſt credendum*, ſi ergo principium ſalinum chimicum aliorum corporum depræhenditur eſſe particeps, quomodò entium naturalium poterit eſſe principium?

De ſecundo ſulphuris principio eadem reperitur implicantia; nam quis ambigere poterit de ſulphuris commercio cum ſale, dum ſulphur ſaporem habet, proindèque de ſale participare videtur, in quo ſenſu Beguin. tyroc. lib. 1. cap. 2. docebat: *nullum*, inquiens, *ſimpliciter, atque ſolum principium*

pium, quod non participet de reliquis, reperitur. Fidem quoque facit Sennertus lib. 3. phyſicorum cap. 11. & Libavius, qui chimica principia ex elementorum miſtione, & mutuò ineſſe docuerunt, ac ſuprà demonſtravi ſulphur multò igne abundare ſpiritu acidiſſimo irretito, adeò ut, in re meridiana luce clariori, plura exarare, tædioſum ſit, tantò fortiùs, quod plura mixta reperiuntur, in quibus ſulphuris principium nullo modo elucceſcit etiam per magiſterium Chimicum.

De tertio Mercurii principio ſupracitatus Beguinus concludit eſſe compoſitum ex ſulphure, & ſale; alii Chimici pro Mercurio intelligunt aqueam humiditatem; nonnulli Recentiores volunt Mercurium eſſe ſalem volatilem abſtractum cum partibus phlegmatis reducibilem primordialiter ad ignem, & aquam, ſeu ad Alkali, & acidum, à quibus ex mente Tachenii diſſentire non videtur Hipocrates 2. de Dieta num. 17. ubi dicit: *Ex igne, & aqua omnia conſtituuntur & animalia, & ex terrâ naſcentia, & ex his augeſcunt, ac in hæc reſolvuntur*; & primo de Dieta num. 4. repetit: *Ignis omnia per omnia movere poteſt, aqua verò omnia per omnia nutrire*, quamvis ut explicat Sinibaldus Antiphona prima libri quarti in ſyncatatheſi ignem, & aquam ſumat Hipocrates pro calido innato, & humido radicali ſecundariis principiis ad vitam manutenendam, cum alibi ſatis apertè præmonſtraverit quatuor elementa rerum univerſalia principia; quamobrem unuſquiſque in philoſophia rudiſter imbutus à ſede principiorum mente captat, removendum eſſe Mercurium una ſimul cū aliis duobus depoſitis, & confutatis, dum nil aliud ſapit, quam noſtra elementa.

Quartò de principiis alKali, & acidi parum cunctabor, cum in eorum excidium ſatis ſit recenſere,

ſere, quid de illis audiat Tachenius principalis Author in cap. 3. libri Hipocratis Chimici, qui poſtquam demonſtraverat credulis noſtri temporis Philoſophis, omnia conflata eſſe ex AlKali, & acido, tandem concludit: *Nihilominus tamen ſal Kali in rerum natura non reperitur, neque in triplici regno, hoc eſt vegetabilibus, mineralibus, & animalibus, niſi Artifex id ope ignis produxerit, quapropter Antiqui ſcripto tradidere, Puellæ huic tres aſſignavere Patres, Naturam, Ignem, & Philoſophum*. Quid clarius, quid evidentius manifeſtari poterit meis Tyronibus, ut fidem derogent hujuſmodi ineniis, quam proprii Authoris confeſſio? Undè clariſſimus Chimicus Bilichius, & Freitagius doctiſſimus in diſput.6. de paradoxis ſectæ Paracelſicæ multa congerunt in excidium hujus decantati principii ſalis Kali, ad quos curioſum Lectorem remittimus.

Nec me ulla movet ratio ad conſtituenda rerum naturalium principia AlKali, & acidum, non ſolùm quia certum eſt, quod cuilibet corpori ineſſe, demonſtrari non poſſint, ſed hæc prætenſæ particulæ materiæ aliæ acutæ, aliæ poris præditæ non ſufficiunt ad explicandam varietatem phenomenorum, quæ in rerum univerſitate obviæ apparent, cum hæc corpuſcula in acutum faſtigiata, & al poris pervia, & commeabilia, ut ipſi dicunt, apta ſolummodò ſint, ut ſe intricentur, ſi adæquatè conſtiterint, vel diſſolutionem moliantur, ſi prævaluerint acida.

Experimentum verum eſt, quod affuſo oleo vitrioli, quod acidum eſt ſali tartari reſoluto, quod alKalinum eſt, excitatur æſtus, & fervor, ſed hujuſmodi fervor parum durabilis eſt, & materia coagulata brevi tempore in fundum vaſis ſecedit, facta utriuſque corporis unione, ſed quid indè, num pro-

propterea ipſis adſcribenda agitatio variorum ſuccorum alimento, & incremento plantarum deſtinatorum, ſi hæc perennis, periſtaltica, & longæva eſſe debet? Num cauſa eſſe poterunt animalium, corporis fabricæ,& continui ſanguinis motus; dum orta colluctatione inter acidum, & AlKali veluti inter duo contraria vel vincit, vel vincitur; ac indè oritur quies? Et ſi tandem ſal alKali non reperitur in rerum natura, niſi fiat ab igne, & Philoſopho, ut teſtatur Tachenius; unde poterit eſſe rerum univerſale principium? ſi acidum in tot corporibus non invenitur, ineptumque eſſet ad motum, nonnè acre eſt, inter principia illud recenſere?

Si demum acidum, & AlKali juxtà eorum corporum ſtructuram deſignant eſſe compoſita; undè datum eſt illis poſſe rerum eſſe principia ſimplicia, & incompoſita? Quapropter jure meritò concludit Joannes Freitagius de paradoxis, & erroribus novæ ſectæ Sennerto Paracelſicæ diſput. 6. num. 10. *Pulchra, & ſuavia nobis ſunt tradita principia à Novatoribus, quæ cum non ſint prima, ſed ex primis conſtent, nec verè miſcibilia corpora, aut miſcibilium, quatenùs res ſunt miſcibiles materia, & ex ſeſe mutuò fiant, neque ex iis omnia, ſanè nec principiorum univerſalem naturam induere, neque vicem, aut ſtationem tueri poſſunt, ſed ad eadem pertinent, veluti ſterquilinium inter poma refertur.*

Si hæc conſideraſſet Tachenius in ſuo tractatu de AlKali, & acido, non contaminaſſet ſuo calamo ſcripta, Salomonem non alitèr edoctum à natura fuiſſe, ac ſcibilium fundamentum habuiſſe per accuratam notitiam amborum horum ſalium. Quia Divina, quæ affulſit Salomoni ſapientia, non traxit originem ex hac humana imbecillitate, &

ine-

inepta doctrina, ſed ab inexhauſto fonte infinitæ ſapientiæ Dei, qui de Salomone 3. Regum verſ. 12. teſtatur: *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantùm, ut nullus antè te ſimilis tibi fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit*. Propterea perſpectas habuit ſingulas abditas facultates arborum, & herbarum ab hyſopo ad cedrum uſque Libanum, quæ ſcientia non emanavit ex fabulis anilibus, & chimericis de acido, & AlKali, ſed ex theſauro Infinitæ Sapientiæ.

Nec inſuper cap. 19. ejuſdem tractatus inſaniam protuliſſet, *ab idonea AlKali, & acidi à craſſioribus partibus liberata applicatione, mortuos ad vitam revocari poſſe, ſuppoſito ſcilicet reſurrectionem in naturæ verſari poteſtate*; ſed reſponde mihi quæsò, ſi ab idonea AlKali, & acidi applicatione hoc fieri poteſt, cur non verſatur in naturæ poteſtate? Num non habemus acidum, & AlKali? num deſunt corpora mortuorum? Perge igitur, applica acidum, & AlKali, revoca mortuos, ſi potes, nugivendole Vir.

Quincto demùm pauca ſuperſunt de ſpiritus principio, nam quis negaturus erit, quod omnes liquores ſpirituoſi, quinteſſentiæ, & ſpiritus per quam ſubtiliſſimi, ſi confragentur aliquid aquei, vel terrei admiſti non relinquant, vel ſi diù permanſerint aliquid gravium non deſcendat, & in aqueum fluorem non abeant? Experimentum facit ſpiritus vini, qui accenſus ſi craſſior ſit, plus aquæ relinquit, quò magis ſubtilior, & ad naturam aeream, igneamque propriùs accedit, eò minùs deponit. Quapropter in talis veritatis aurora ſermo non eſt protrahendus, at ſolummodò mihi reſtat circa principium ſpiritus, refellere opinionem Thomæ VVillis Oxienſis in ſua naturali philoſophia

phia de principiis Chimicis cap. 11. ubi primò proteſtatur, ſe ſub nomine principiorum non intelligere entia ſimpliciſſima, & omninò incompoſita; verumtamen in hujuſmodi ſenſu malè vocantur principia ſi ſunt compoſita, & principiata.

Secundò: Definit ſpiritum unum ex principiis, quod ſit ſubſtantia maximè ſubtilis etherea, & Divinioris auræ particula, in quo nota errorem, quod nullam videtur feciſſe diſtinctionem inter ſpiritum materialem evaneſcibilem, & Animam rationalem, dum cap. 7. tom. 2. Animæ rationalis excellentiam commendando maximè in ſcientiarum inventione, inquit. *Sanè arguit Opificem ſi non Divinum, ſaltem Divinæ auræ particulam, nimirum ſubſtantiam ſpiritualem, mire intelligentem, immaterialem &c.* Sed cariſſime VVillis, videtur ne tibi decens, materialem, & corruptibilem ſpiritum pro principio admiſſum poſſe eſſe particulam Divinioris auræ, quæ ſub legibus corruptionis nullo modo cadere poteſt; Tolerabile enim eſt, eſſe Animam rationalem particulam Divinæ auræ, quia eſt ſpiritualis, incorruptibilis, & immaterialis, ſed ſpiritus, ut unum principium rerum conſtitutivum materiale, & corruptibile particulam non ſolùm Divinæ, ſed Divinioris auræ definire, hoc impium, & ſacrilegum eſſe videtur ab humanis mentibus omninò delendum. Confitemur equidem cum orthodoxa Patrum familia Divinum ſpiritum eſſe ubique diffuſum, ſed, ut docet Lactantius lib. 7. cap 6. *Ipſe incorruptus gravibus, & corruptibilibus non miſcetur elementis.*

Examinatis igitur novis de rerum productione principiis, illiſque ſatis ſuperque confutatis tanquam erroneis, & hæreticalibus, non eſt cur amplius audaces Medici Chimicaſtri blaterent, ſpiritum

tum, ſal, Mercurium, ſulphur, acidum, & AlKali eſſe rerum principia, quia ultrà allatas herculeas rationes, inſignis, & maxima differentia, quæ intercedit inter unum, & alium ſpiritum, inter unum, & aliud ſal, inter unum, & aliud ſulphur elicitum, quoad ſaporem, acorem, figuram, & virtutem, manifeſtè demonſtrat, non eſſe vera principia, ſed compoſita, ſeu ab igne producta, ut jam diffusè fuit probatum. Et revera nonnè ſpiritus fuliginis toto Cœlo differt à ſpiritu vini quoad ſaporem, odorem, virtutem, omneſque qualitates? ſic ſal v. gr. cicoreæ nonnè penitùs diſcrepat à ſale abſinthii, rutæ caprariæ, & centaureæ? dum in quibuſdam aliquando videtur figura tetragona, in nonnullis pentagona, in aliis hexagona, immò in aliquibus heptagona, & hæc diverſitas non indigitat cuicunque incredulo, hæc chimica principia minimè redolere homogeneam principiorum naturam? quæ ſimplex, & eadem ſemper eſſe debet, ne tot principia admittantur, quot ſunt compoſita?

Hortor itaque vos, amatiſſimi comproſeſſores, ut depoſito ventoſo veſtrorum principiorum faſtu, in gratiam redeatis cum elementis, quæ veſtra (Sacris credite dogmatibus) produxerunt principia, & deindè ut lepidè dicebat Bilichius, *hanc gratiam à pullis referunt matres, ut quos in lucem ediderint, eorum petantur calcibus*. Sufficiant vobis ad credenda quatuor elementa adductæ rationes, & millenæ authoritates ſacræ, & profanæ, & experimentum Themiſtii, qui conſideratione analogica, & naturali facta circa fruſtum ligni in camino ardentis, prout diſſociantur partes, ita elementa deducit, inquiens: *Ignis in flamma ſua ſe ſua luce detegit, fumus ad aerem volans, in quo veluti fluminis aqua in mare abſorbetur, revertitur, & evaneſcit*.

Aqua in ſua ipſius forma ad extremitates urentis ligni cum ſibilo bulliens ſenſibus noſtris ſe prodit; cineres ſuo pondere, ſuaque fixitate, & ariditate proculdubiò elemento terræ ſe vendicant. Quas naturales ſecretiones non vendito pro ipſiſſimis puris elementis, quia de cæteris participant, ſed quoad prævalentiam, ac prædominium ſatis præfigurant prima rerum elementa.

Ita noſtram theſim firmat Scaliger. exercit. 9. dicens: *Qui fumus aſcendit is in ſe ignis habet plurimum: Non enim propter aquam, tantò minùs propter terram, ſed neque ab aere is fiet motus, in aere enim eſt.* Et tandem ſermonem noſtrum claudat Eraſtus dicens: *Fruſtra nova principia Chimicos comminiſci, cum nihil aliud dicant, quam jam olim per tot ſæcula alii Philoſophi demonſtrarunt, & quæ clara, & intelligibilia prius erant, nobis obſcura, & intricata reddantur. Quæ aquæ propriè eſſe omnium eruditorum oculis conſpecta fuerunt, famoſi iſti Philoſophi Mercurio adſcribere voluerunt, quæ igni maximè conveniunt, ſulphuri tribuunt, quæ terræ optimè congruunt, ſali ſuo accommodant:* quas authoritates ſi connectas cum tot experientiis, & rationibus adductis, Chimicorum principia admitti nequeunt, uti prima componentia ſine magna temeritatis nota.

§. VIII.

Oſtenditur ab acido, & AlKali, ſeu aliis principiis Chimicis non provenire decantatam fermentationem in ſublunaribus requiſitam, ejuſdemque veriores cauſæ proponuntur.

NIl aliud tam magnificè incedit per ora Recentiorum Medicorum, quam decantata fermentatio

tatio ex alKali, & acido promota, ſed ſi in præcedentibus paragraphis lidio lapide probavi, phenomena rerum naturalium minori claritudine deſumi à novis Chimicis principiis, quam à vulgaribus elementis, ne videatur benigno Lectori perdifficile, animo ex infradicendis haurire, falſam, & præpoſteram eſſe cantilenam, quod nimirùm causa præcipua fermentationis ſit alKali, & acidum.

Siquidem in entibus cunctis naturalibus duplex reperitur fermentatio; una inſenſibilis, & periſtaltica; altera verò ſenſibilis, & effervescens. Prima oriri non poteſt à permiſtione alKali,& acidi, non ſolùm quia ſal AlKalinum in rerum natura non eſt reperibile, ut ſuperius probavimus, niſi progignatur ab igne, ſed etiam quia dantur multa corpora, & præcipuè metalla, nempè argentum, plumbum &c. Margaritæ, & Coralla, in quibus nec ope ignis poſſe produci, peritiſſimi Chimici apertè fatentur, quapropter hæc inſenſibilis, & periſtaltica fermentatio in omnibus miſtis requiſita, veluti quædam entitas animæ vegetativæ provenire nequit ex miſcela acidi, & alKali, quia nec ope ignis à magiſterio chimico ex omnibus miſtis elici poteſt, ut antecedenter probatum eſt.

Secunda verò ſenſibilis, & effervescens paritèr ab acido, & alKali à Novatoribus cenſetur provenire, ut præcipuè demonſtrant in miſcela ſpiritus vitrioli cum oleo tartari, quæ ſimul mixta effervescunt; at ſedula, & matura facta perpenſione, quod Acido, & AlKali adſcribunt, melius congruunt igneis, aereiſque particulis prædominantibus in hujuſmodi liquoribus, quæ recuſantes fixari ab acida ſpiritus vitrioli indolè, cum corpore tartareo colluctantur, ac effervescunt, donec ab aci-

do

do irretitæ, fixæ, & coagulatæ remaneant, ceſſetque fermentatio: Signum incontrovertibile hujus veritatis eſt calor, ignis indiviſibilis ſocius, qui obſervatur in vaſe, ubi peracta fuit fermentatio cum ſpiritu vitrioli, & oleo tartari.

Nec dicatur, ut in communi phraſi hodierna, quod calor ſit effectus motus, ſeu effervеſcentiæ, non autem ignis, juxtà peripateticam regulam, *Motus eſt cauſa caloris*; nam tunc motus eſt cauſa caloris, quando in corpore moto igniculi latentes excitantur, extricantur, ac effluunt, ſed quando commotum corpus igneis caret particulis, tunc ſanè nullus ſequitur calor. Etenim commoveatur aqua mille modis, confricentur quantumvis ligna viridia, aliaque corpora, in quibus exiguum, aut nullum dominatum tenet ignis, non exindè aliquod veſtigium porrigent caloris, & conſequenter motus eſt cauſa excitativa caloris, non autem productiva, cum calor ſit ſignum patognonomicum effervеſcentis ignis, illi conveniens omni, & ſemper.

Illuſtrant hanc veritatem primo experimentum, quod fit in calce, quæ effervеſcit, ac ebullit madefacta ab aqua, quia igniculi ibi relicti, & latentes concitati ab aqueo elemento ſibi contrario, agmine facto, ſimul congrediuntur, & colluctantur, & tamen in tali effervеſcentia acidum non eſt aſſignabile, quia calx in ſuppoſita theoria tota alKalica eſt, nec aqua penitùs diverſa ab acido, immò tota alchalica ex Tachenio, licèt per me utroque careat, vicem acidi poteſt ſupplere, eandemque fermentationem percellere, ſic videmus aquam, ſubjecto igne, maximè effervеſcere, & adaucto calore æſtivo, non ſolùm in Aromatariis fermentant, & ebulliunt ſyruppi, ſed omnium animalium corpora

in

in majorem cientur fermentationem, quapropter ſi inſenſibilem, & periſtalticam fermentationem ab acido, & alKali fieri negavimus, nec minùs fermentationem viſibilem, & effervefcentem àb ipſis fieri patet.

Animo captaſſe Tachenius hanc veritatem mihi videtur, dum hæc principia fermentativa ſtatuendo, petiit fulcimentum ab authoritatibus Hipocratis lib. 1. de Dieta art. 4. nec non lib. 2. de Dieta num. 17. in quibus locis Hipocrates facit mentionem de igne, & aqua, tanquam rerum principiis, quæ Tachenius intendit eſſe miſteria de alKali, & acido à ſolis Chimicis dignoſcenda; undè lib. 9. pag. 17. ait: *Acidum, & alKali organa ſunt naturæ, idoneo autem loco oſtenſurus ſum, aquam nihil aliud eſſe, quam AlKali, ignem autem acidum*; ſed hæc ſunt aniles cantilenæ Vetulis, & Orizotomis narrandæ, nam aquam puram ex ſe ſolam eſſe Kali ridiculum, quia cum acidis non fermentat, ignem verò acidum puerile, ut inferiùs dicam, ac ſenſibus hoc explorare, eſt impoſſibile. Nec unquam ſomniaſſe credimus Hipocratem in tam inſigni amplitudine à Tachenio exaltatum alKali, & acidum, nec adducti Hipocratis loci in hanc novam proſapiam tendunt, ſi oculos aperiat Tachenius, & unuſquiſque Pediſſequus.

Aſſerere autem, quod ignis ſit acidus, quia ut ipſi ajunt, coralla ad ignem reverberata incrementum ponderis accipiant, abſorbeantque ignis acidum, ac propterea cum acidis non fermentent, non mihi videtur argumentum concludens ad ſtabiliendum, ignem eſſe acidum, eodem modo plumbum, ſal commune, & alia corpora creſcunt in pondere, in quantum à partibus igneis eorundem poroſitates occupatæ fuere, nec benè infertur illas

eſſe

eſſe acidas, eò quia amplius non fermentant cum affuſis acidis, cum hoc poſſit evenire aut ex diſſoluta, & mutata textura pororum Coralliorum in ſimilitudinem tot corporum, cum quibus acidum intermiſtum non fermentat, aut (& hæc eſt evidentior ratio) amplius non fermentant, quia ex acidi vi coagulativa figuntur ſpiritus ignis antea involuti in corpore corallino, adeo ut ulterius irretiti immobiles fiant. Quantum verò poſſit aciditas in cohibendo eruptionem corpuſculorum igneorum, patet in ſulphure, ubi magna igniculorum congeries conſopita detinetur à ſpiritu quodam acido, qui chimico magiſterio ex ſulphure elicitur.

Contraria inſuper autopſia apertam magis rem nobis facit, nam fuligo, quæ nil aliud eſt, quàm aggregatum particularum ignearum flammam priùs conſtituentium, ceſſante præcedenti agitatione, eo modo collectarum, vel ut brevius dicam, eſt ipſa flamma condenſata, apud omnes in confeſſo eſt, quod plurimum ſal volatile alKalinum continet, non autem prætenſum acidum, ſignum evidens, quod ignis non eſt acidus, immo in Chimicorum ſententia alKaliſcus; etſi omninò deficerent adductæ rationes, quis optima mente præditus ab unico ignis effectu prorſus occulto generalem trahere conſequentiam auderet, quod nimirum ignis ſit acidus? Itaque illuſio mentis videtur Tachenii, qui ut nova in lucem proderet, non à conſtanti ratione, ſed à phantaſia petiit ſua principia.

Ratio autem cur tanto aplauſu fuerit hæc opinio recepta, non aliunde eſt inquirenda, quam ex ipſa novitate, naturale enim nobis, monebat Seneca, magis nova, quam vera, & conſpicua mirari, ſic Sol planetarum Rex, & inſignis pulchritudinis

noſtris non dignatur oculis, & ſi infauſtum Comete, ſeu ſtella crinita colluſtret in Cælo, omnium mortalium rapit oculos, ideo quatuor elementa præ oculis poſita, ejuſque mirabiles effectus non miramur, ſed ad Crinitas ſtellas novorum principiorum revolvimus animum, non intelligentes, *quod nunquam in Cælo apparuit impunè Comete.* Infauſtum opinionis prænuncium jam prædiximus, quando in fine paragraphi antecedentis confutavimus Tachenii errores de reſurrectione mortuorum in vim acidi, & AlKali. Unde nunc mihi explicandum reſtat, quæ veræ ſint cauſæ fermentationis.

Veræ igitur fermentationis cauſæ duæ à me recenſentur. Una præter aerem fit ab igne, qui ex ſui natura ſemper in motu eſt juxta Oraculum Hipocratis lib.1. de dieta n.4. *Ignis omnia per omnia movere poteſt.* Ignis enim cæterarum partium compedibus intricatus, & ab uberiore eruptione prohibitus primam periſtalticam promovet fermentationem, leniter commovens vegetationem rerum, augumentum, digeſtionem, maturitatem, blandam caliditatem, aliaſque perfectivas qualitates rebus conciliat. Quando verò effrænis, & indomitæ evadit naturæ, tunc ruptis repagulis facit effervefcentiam, ebullitionem, febres, inflammationes, devaſtationes, combuſtiones, & ſiccitates, uno verbo fermentationem effervefcentem, quas fermentationes ab igne excitatas ſi ſedulò conſideret Lector, opus non erit recurrere ad Chimeras acidas, & alKalicas a delirante phantaſia in lucem editas.

Altera verò cauſa fermentationis, niſi velimus recurrere ad primitivas, nimirum ignem, & aerem, conſiſtit in diverſitate corporum gravium, & levium, quæ compoſitorum ſunt baſes; hæc autem

juxta

juxta minorem, vel majorem levitatem , & gravitatem particularum elementarium componentium modo aſcendunt, modo deſcendunt, ita ut gravior ſuperet minus gravem, & minus gravis ſuperet minus levem, donec ex illis levior ſupereminet omnibus, ac dum hæc inter ſe juxta naturales leges levitatis, & gravitatis diſſociantur , ac diſtrahuntur petentes leviores ſupernum locum, leves medium , graviores infimum, naſcitur vera miſtorum fermentatio abſque auxilio acidi, & AlKali . Manifeſta hæc veritas eſt in ſuccis omphacinis, limonum, cæteriſque aliis, in quibus non regnat ſal alKalinum, & tamen adeſt fermentatio , quia partes leviores ſurſum aſcendunt, graviores verò deorſum deſcendunt, quod idem evenit in vino, & cereviſia .

Et re vera non cernimus oculis ſupernatare in liquoribus oleoſa, ſpirituoſa igni, & etheri levioribus cognata, gravia verò aquæ , & terræ analoga in fundum deſcendere ? ut opus habeamus recurrere ad acidum , & alKali , quæ cum non ſint univerſalia principia, in ſingulis fermentationibus reperiri non poſſunt ? Quamobrem recte concludit Etmulerus inter Recentiores cap. 3 de fermentatione primariam ipſius fermentationis cauſam eſſe aerem, cujus vis elaſtica miſtis ſe permiſcet, illaque expandit, ac commovet, & per hanc rationem muſtum, ait, in dolio clauſum non fermentat , quia caret beneficio aeris fermentationis promotoris , quod idem etiam evenire cauſa ignis jam ſupra luculenter probavimus. Ac adeo verum eſt , quod aer vini fermentationis eſt cauſa, ut in doliis ſemiplenis facilius ingrediens in majorem fermentationem impellat, ſpirituoſas vini partes evocet , tartarique in vino latentis acrimonia ſe prodat, & vinum aceſcat .

SCRUTINIUM V.

De multorum Chimicorum Entuſiaſmate ridiculo, & hæreticali breviter confutato, in quo etiam ſpiritus Mundi, ſeu ſal univerſale circa finem rejicitur.

DEnique mirabilis eſt in Chimicis (bonis ſemper exceptis) eorum de ſe prægrandis opinio reducibilis ad Entuſiaſma, *quod eſt falſa de ſe exiſtimatio, quod ſint inſpirati*, qua de re in Chimicorum libris obſervabile eſt, quod ſuas imaginationes ita magiſtraliter, atque imperioſè dictant ſine ullo ſæpiùs ratiocinio, à Deo omnipotente ac ſi Nuncii authentici miſſi eſſent, ad nobis revelanda occulta myſteria, veluti v.g. eſt illud, *arrigite aures, & adeſte cum ſilentio, nam ſtupenda planè myſteria vobis jam enarrabo. Virtutes planetarum non aſcendunt, ſed deſcendunt. Quod eſt ſuperius, eſt inferius*, & alias perbellas imaginationes implantant dictatas ab hypocondriorum intumeſcentia mentem attollente ad ſublimes, ſed fatuas comparationes, & aſſertiones.

Legite curioſi Tyrones, Paracelſum Chimicorum Numen in ſermonibus de Metheoris, & ſcientia aſtronomica, & ad nauſeam parabolica invenietis dicteria, quæ magis ad riſum, quam ad ſequelam concitant ſenſatos Lectores, ita videbitis aſſertum, *quod homo præter terreſtre, ſydereum habeat corpus cum aſtris conjunctum, hinc fieri, quod cum aſtris poſſit confabulari, & de futuris rebus moneri*, & deinde Idem ſcribit, *quod veriſimillimum eſt remotiorum partium Orbis Terrarum Incolas non habere animas, atqui non ſint progenies Adami*; Etſi animas non habent ô bipe-

bipedum nequiſſime, unde viuunt, ſi vitæ radix eſt anima? Etſi non ſunt progenies Adami, quis primus fuit eorum Pater?

Item *quod abſentia Solis non ſit cauſa noctis, ſed noctem induci à tenebroſarum ſtellarum influentia*; ulteriùs, *quod ſtellæ ſint phialæ ad inſtar, in quibus ſal, ſulphur, & mercurius recondantur, & quod comedant, nutriantur, ac proinde nonnunquam aluum exonerent; Stelliſque demum humanam omnem, ac naturalem intelligentiam ineſſe, & inde in hominem derivari, ac ab eis illam exugere, & oportere ad animam ſuam nutriendam*; ut ne ſcandalizemini, pejora ſileam. Quid ineptius, quid abſurdius, quid magis omnis rationis expers proferre potuit Vir iſte raptus à Baccho? adeo ut has ridiculas aſſertiones refellere, temporis eſſet jactura, ſed conſepultæ maneant cum Corradi Geſneri epitaphio dicentis. *Teophraſtus Paracelſus prorſus incoſtans, nunc Theologus, nunc Medicus, nunc Magus, ſæpe tamen Compotator, & aleator inter ruſticos*; hinc quiſque poteſt arguere, quanta attentione ſint digne.

Non diverſus à Paracelſo fuit Jacobus Behemen Philoſophus Theutonicus, qui incidit in conſimile entuſiaſma, & ad modum Oraculi abſque ulla prorſus probatione imaginabatur magnalia myſteria promere. Unde tanquam ſi eſſet inſpiratus, docebat: *Sol ab omnibus ſtellis factus eſt, ſtellæ ſunt ignis, & aqua; ſomnia ſunt viſiones à ſtellis immiſſæ dormientium mortalium mentibus. Inter ſtellas ingens caligo, ibique Diabolus dominium, principatumque tenet, Lunam eſſe ſaccum proprietatum ſtellarum*, & alia conticeſco enormia, quæ non licet homini loqui, ſed ſolummodo, dum curioſa hujuſcemodi derideat Lector, contra pejora ipſe exclamabo cum Oſea Propheta divinitus affato: *Ve illis quoniam*

exilierunt à me, famoſi facti ſunt, quia impii fuerunt in me, iniqua loquuti ſunt adverſus me, & adverſum me excogitantes loquuti ſunt peſſima, ideo cadent in framea propter improbitatem linguæ ſuæ, hic contemptus eorum in ſinu eorum, quia tranſierunt teſtamentum meum, & adverſus legem meam impiè egerunt.

Ad Chimicorum pariter entuſiaſma non eſt alienum, referre viſionem illam, quam habuiſſe fingit Joh. Dauſtenus Anglus Philoſophus Chimicus in ſuo Roſario, arcano Philoſophorum ſecretiſſimo, ubi tincturam philoſophicam deſcribens, adumbrat illam myſterii ad inſtar Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſacra profanis miſcendo, quam viſionem relatam reperies à Mangeto lib. 3. ſubſect. 4. & utpote nimis longam brevitati ſtudens, ad illam legendam, curioſum Lectorem remitto.

Accedit his Georgius Riplejus Philoſophus Anglus in prologo libri duodecim portarum, qui, poſtquam de Geneſi parum firma dixerit, ut in tractatu de elementis confutavimus, dicit inſuper: *noſter lapis appellatur Microcoſmus unus, & trinus*. O mentis inſania nigro helleboro repurganda: concedere non erubet attributa phantaſtico lapidi, quæ ſoli Deo Uno, & Trino competentia ſunt.

Pariformiter inter Chimicos deliravit Crollius, qui in exaltando Paracelſum, de quo potius conticeſcere, quam loqui licet, ait in præfatione admonit: *Neminem adhuc Paracelſi peritiam attigiſſe, ne dum ſuperare potuiſſe, ut qui ſupra quam credi poſſit, Divinarum, humanarum abſolutam habuerit cognitionem*, ac pag. 67. repetit: *Nullus mortalium in philoſophia, & medicina indubitato Cæli favore tam ardua, & abdita arcana ſcivit*; & tandem à temporibus Noè omnibus hominibus præfert Triſmegiſtro, Salomoni, & aliis illuſtribus Viris.

Et

Et una cum Crollio deliravit Heningus Scheunemannus in hidromantia Paracelſica in præfatione ad Lectorem dicens : *Paracelſum , hipocraticam, & hermeticam doctrinam Spiritus Sancti aſſiſtentia ita compleviſſe , ut nihil amplius deſiderari poſſit*. O bone Deus ! Paracelſus , qui plures effutivit blaſphemias , quam verba , doctior fuit Salomone ? habuit Spiritus Sancti aſſiſtentiam ? Ille Paracelſus, qui lib. de peſtilit.tract.2. pag.345. non erubuit (ut cætera horrenda ſileam) aſſerere Moyſem, Joannem Evangeliſtam, David , Salomonem , Baruch , Ieremiam , Ezechielem , cæteroſque Prophetas Magiam coluiſſe, qua miracula ederent , ab iſtis incautis Doctorunculis adeò exaltatur ? tam magnificè collaudatur ? Nonne de inſuperabili Salomonis doctrina à Deo illi conceſſa teſtimonium habemus in ſacris paginis 3. Reg. verſ. 12. per illa verba : *Ecce feci tibi ſecundum ſermones tuos , & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te ſimilis tibi fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit*. Non ne ſacra dogmata docent , Spiritum Sanctum abhorrere ab impiis , & cum ipſis non eſſe ſermocinationem ejus ? Non has profectò Paracelſi laudes ſubſcripſere Sennertus, Oporinus, Eraſtus , & Freitagius, qui chriſtiana mente ejus philoſemata execrarunt, vituperarunt, condemnarunt.

Quid tandem dicemus de Petro Joanne Fabri Chimico, qui cap.6. Alchimiſta Chriſtianus exemplo Hermetis, & aliorum Chimicorum docet , ſpiritum Mundi, qui de Cœlo deſcendit ad Terram , & de Terra aſcendit ad Cœlum, prout repetit c. 9. eſſe qui naturam conſervat , & nutriat , & corpus humanum formet, dicendo in dicto Capitulo ſexto *Spiritum Mundi , dum corpus ſibi figulat , Myſterium Incarnati Verbi quadantenus repræſentare* . Quem de-

finit quod ſit vis totius Naturæ, Mundi univerſi facultas, energia, & robur, ſemen Cœli, aſtrorum, & elementorum, qui omniformes, & multiplices obtineat naturas, & ſit ſymbolum cum Sacratiſſima Virgine, quia ſicut ille vitam hanc labilem tribuit, conſervat, & fovet, ſic & Virgo Maria vitam æternam tribuit, fovet, & conſervat virtute, potentia, & miſericordia D. N. Jeſu Chriſti; & alias fatuas comparationes trium principiorum cum Sanctiſſima Triade ſilentio involvo, ne has inſulſas, & temerarias opiniones ulterius ſine cõfutatione toleremus.

Hunc olim ſpiritum Mundi Ægiptii, & Caldei, Aſſirii, & Phenices ſub nomine Deorum Beli, Molocchi, Amun, ſive Sarapis, ut videre eſt apud Voſſium lib. 7. cap. 2. de phiſiolog. Chriſtiana, & Theologia gentili, magna veneratione coluerunt; Platonis, aliorumque Philoſophorum placitis ſub anima Mundi fuit adumbratus; tandem hujuſmodi ſpiritus hæreſi coninquinati fuerunt Manichei, & damnati à S. Auguſtino, & ultimo loco renovatur hæc gentilitia, & erronea cantilena ab iſtis Chimicis Philoſophis ſine ſale, & tantam vim huic ſpiritui ineſſe imaginantur, ut ſomniet dictus Fabrus, quod ſi ea vis per momentum temporis naturam deſereret, tota natura corrueret, & in Chaos primum abiret; ac in lib. 1. c. 29. ipſa elementa aſſerit vim ſuam agendi recipere ab hujus ſpiritus Mundi entelychia, ubique diffuſa; malè exindè arguendo Virgilii commentatores illorum carminum nimirum.

Principio Cœlum, & Terram, campoſque liquentes,
Lucentemque globum lunæ Titaniaque aſtra.
Spiritus intus alit &c.

explicantes mentem, & ſpiritum Univerſi eſſe Deum ubique regnantem, & omnia regentem, quia, ut aſſerit dictus Fabrus, non ſe miſcet Deus corpori-

poribus tanquam pars conſtituens, & componens, ut agit ſpiritus, ſeu mens univerſi, quaſi ut ipſe Deus, ut annuebat Plutarchus in lib. de remedio iræ in perſonam Euripidis, *magna regat, parvaque noſtra in fortunæ manibus derelinquat.*

Sed rogo quis creavit hunc ſpiritum tam Magnificum Semideum? num Altiſſimus conditor? & quis tibi hoc revelavit? Unde probas eſſe hunc ſpiritum vim totius naturæ, facultatem univerſi, Cœli, Stellarumque ſemen? num à Sacra Geneſi, quæ de ipſo nullam facit mentionem, hoc ipſum deducis? O verè deteſtanda temeritas, quę ſubrogat Divinę Providentiæ rerum dominium, & gubernaculum, & phantaſtico tribuit Mundi ſpiritui: Non hæc docuit Seneca, qui omnia rerum exemplaria continere, dixit Deum; non hæc teſtantur Sacra dogmata, quæ docent omnia per Deum facta eſſe, & ſine ipſo factum eſſe nihil. In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus, ipſe ſolus, qui facit mirabilia, qui dat eſcam volatilibus Cœli, nec unus ex duobus paſſeribus apud Deum eſt in oblivione, qui omnia per ſe operatus eſt, & infinita providentia regit. Nec unquam Summus rerum Parens, & Sæculorum Gigas ſuum tribuit creandi honorem, quin ſemper ut cauſa prima principalis perſeveret juxta illud Joannis cap. 5. *Pater meus uſque adbuc operatur, & Ego operor* & 1. Corinth. *Deus operatur omnia in omnibus.*

Concedimus, quod Deus non ſe miſcet Corporibus tanquam pars conſtituens, & componens, ut agere pretendis tuum Spiritum, ſeu mentem uniuerſi, ſed non exindè, quod Deus non ſe miſcet corporibus, delegavit ſuam omnipotentiam huic phantaſtico Spiritui, ac ipſe otioſus manet, ſed ut docet Lactantius lib. 7. cap. 6. *Divinum quidem Spiritum eſſe ubique diffuſum, eoque omnia contineri, ita tamen*

ut

ut ipſe incorruptus non gravibus, & corruptibilibus miſceatur elementis, & Damaſc. lib. Orthodox. fid. cap. 16. *Omnia permeat Deus ſine miſtione*.

Clariorem rem facit Ariſt. 1 metaphiſ. cap. 2. docens, *Quod Deus tum Cauſa omnibus videtur, tum quoddam principium*; ſtatuendo *quod Deus ſit forma Mundi ſubſtantialis, qui complevit totum, continuam faciens generationem*. Cui alludens Democr. dixit, Deum eſſe mentem, & Mundi animam, & Lucanus cecinit,

Juppiter eſt, quodcunque vides quodcunque movetur.

A quibus authoritatibus deducitur, Mentem univerſi, & Spiritum Mundi univerſalem, cui tantam gloriam tribuis, eſſe Deum, ſive ejus Spiritum Divinum, ita ſe proteſtatus eſt Deus Apoc. cap 1. dicens: *Ego ſum Alpha, & Omega*, principium ſcilicet, & finis rerum omnium.

Nec ſine deteſtatione prætereunda altera aſſertio ſui decantati Spiritus. *Cujus vis ſi per momentum temporis naturam deſereret, tota corrueret, & in primum Chaos abiret*, nam hanc ſupereminentem excellentiam propriè convenit Deo, qui ad mentem omnium Theologorum ſi virtutem ſuam detraheret, nec ad ictum oculi Mundus ſtare poſſet; ita manifeſtavit noſter ſemper laudatus Salvator Chriſtus in copiis Phariſeorum contra ipſum adventantibus, cum dixerit, *Quem quæritis: Ego ſum*, in quo temporis momento, quaſi ſuſpendendo ſuum concurſum, illicò ſemianimes cæciderunt in terram, donec iterum influendo, revixerint.

Vide igitur, ò Fabre quàm fuerit temeraria tua opinio, quę auſit detrahere ter Optimo Maximo Deo in rebus naturalibus concurſum, ut illius vicem mentecapto Spiritui concederes Paganorum ad inſtar, qui Fortunæ Deæ tanquam Cauſæ tribuebant effectus, quando nos admonet D. Auguſtinus 1. retract.

tract. cap. 1. *talia debent attribuere Providentiæ Divinæ*, ut de his latè docet D. Bonaventura in 3. ſententiarum diſt 37.

Minuſque tolerabilis eſt aſſertio capitis noni, hunc imaginarium ſpiritum, dum corpus ſibi figulat, myſterium Incarnationis quadantenus repræſentare, ſicuti etiam temerariæ ſunt ſimbolicæ comparationes, ac explicationes recenſitæ inter Sacratiſſimam Virginem, & hunc Spiritum, ac inter Individuam Trinitatem, & tria chimica principia.

Primo quia ſi præſcindamus à Cauſa ſecunda, opificium fabricæ corporis humani præcipue reſervat ſibi Deus cauſa prima, ut apertè Sacra dogmata docent, & S.Job exclamat. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me; non ne ſicut lac me coagulaſti, pelle, & carnibus circumveſtiſti me*. Leo Papa ad Toribium Affricanum relatus à Sebaſtiano Medice in Summa omnium hæreſum in verbo Anima ſcribit: *Animæ hominum, priuſquam ſuis inſpirentur Corporibus non fuere, nec ab illo incorporantur, niſi ab Opifice Deo, qui & ipſarum eſt Creator, & corporum* Jerem. cap. 1. verſ. 5. *priuſquam te formarem in utero, novi te*. Apud Machabeos lib. 2. cap. 7. *Singulorum membra non ipſa Ego compegi, ſed Mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem*, & alias plures authoritates, quas annotabimus in tractatu de generatione humana à Deo ſpecialiter promota.

Secundo prohibitum eſt, Sacra profanis miſcere, & tam levibus comparationibus repreſentare, ac explicare Sanctiſſima, & principalia noſtræ fidei Myſteria; Quapropter Arnaldus Albertinus Epiſcopus vir doctiſſimus in tractatu de agnoſcendis aſſertionibus Catholicis, & Hæreticis quæſt 13. num. 26. & 27 advertit, *Trinitatem Perſonarum in Divinis, qui vult probare ratione naturali, dupliciter derogat fidei,*

&

& primo quidem quantum ad dignitatem ipſius fidei, quę eſt, ut ſit de rebus ſimilibus, quæ rationem humanam excedunt, unde Apoſtolus dicit ad Hebreos 2. fides eſt de non apparentibus, & primo ad Corinthios: loquimur Dei Sapientiam, in Myſterio, quæ eſt abſcondita. Secundo quantum ad utilitatem trahendi alios ad fidem, cum aliquis ad probandam fidem inducit rationes, quæ non ſunt cogentes, cedit in irriſionem infidelium. Credunt enim quod hujuſmodi rationibus innitamur, & propter eas credamus, quæ igitur fidei ſunt, non ſunt tentanda probare, niſi per ſacras authoritates, nam, ut præcipue nos admonet Angelicus Præceptor in 1. parte q.2.art.2. *impoſſibile eſt per rationem naturalem ad cognitionem Trinitatis Divinarum Perſonarum pervenire.*

Rejectis itaque his Fabri erroribus una cum futilibus æquiparationibus propero ad finem hujus quinti Scrutinii, meum admonendo Lectorem, ne nimis credat Chimicorum libris pompoſis inſignitis, nominibus, ut Theſaurus theſaurorum, Roſarium Philoſophorum, omnium Secretorum maximum Secretum, veriſſima compoſitio naturalis Philoſophiæ, qua omne diminutum reducitur ad ſolificum, & lunificum, flos florum, lumen novum, ſemita ſemitæ, poteſtas divitiarum, lignum vitæ, & alia ampulloſa verba, quæ eorum magnum redolent entuſiaſma, incautos auri cupidos alliciens, & depauperans. Unde jure merito inter Chimicos Thomas Northonus ſpecioſum edit tractatum cum titulo *Crede mihi*, quia ſi fides cadit, tota horum fumivendulorum ſcientia vadit. Et ſedulò reflectat, quod olim Entuſiaſtæ tempore Valentini Imperatoris, & Damaſi Pontificis Hæreticorum ſecta erant Meſſaliani dicti, & Seminia errorum, ſi foveantur, regerminant.

Hæc omnia, & ſingula dicta proteſtor contra illos Chimicos, de quibus mentionem feci, & quorum

Digitized by Google

rum propoſitiones parum fidei conſonas redargui; Cæterum Chimicos bene morigeratos, & prudentes, ut inter Cæteros familiarem noſtrum amatiſſimum, & in Chimicis rebus verſatiſſimum D. Martinum Poli ſumma veneratione colo, eorumque Chimicum magiſterium in Republica medica neceſſarium etiam, atque etiam commendo.

Quin immo abſurda mihi videntur illa Riolani convitia in Apologia contra Chimicos, ubi vocat Chimicam artem Diabolicam, inventum in ruinam generis humani, & perniciem operum Dei, per quam deſtruitur armonia elementorum, & ex contrariis Naturis orta temperies una cum mirabili mixtionis concentu, in quo Majeſtas Dei lucet, ſub illo prætextu, ut ſeperentur eſſentiæ, quibus ſi ſervetur unum, mille pereunt. Eſt, inquit, mera Dæmonum Culina Magię ſuccenturiata, & Chimicam Paracelſo Diabolũ ſugeſſiſſe, ut magica facilius diſſeminaret.

Nec inſuper Mihi arridet illa de Chimica definitio operibus Theophraſti Paracelſi inſcripta: *Alchimia eſt Ars ſine Arte, ſubjectum ejus eſt pars cum parte, proprium mentiri, & ultimo mendicatum ire.* Nam hæc potius militant contra Chimicaſtros aurifices, qui pretioſum Vitæ tempus abſumunt in prætenſa aurificina, donec quidquid patrimonii habent, vertant in favillas, & inhiantes transmutare hidrargirium; ſe ipſos transfigurent in mendicos. Hos revera Deceptores auriperdas etiam decreta juris Canonici Gregorii XIII. Pontif. Max. juſſu edita Extravagantium Communium lib.5.tit.4.&6.de furtis à morigerata Republica proiciunt, & prohibent; hi enim ut ſibi fidem concilient, publice decantant falſa, & ficta quædam Arcana per ridicula emblemata, & hiperbolicas paraphraſes, ut nullus unquam Philoſophus tam abſurdas chimaras, & talia ratio-

rationis entia mente concipere, fuerit auſus, ac ita ſanitatis emptores decipiunt, eorumque crumenas ad atrophiam proclives conſolantur. Cœterum veri Chimici Medici rationabiles dogmatici ſemper ſunt laudandi, atque honorandi.

SCRUTINIUM VI.

De Atomis, ſeu particulis, aliiſque abſurdis in hodierna Phiſica renovatis principiis in præſenti confutatis.

PRo firmiori ſtabiliendo Elementorum Regno, diſcuſſis jam Chimicorum principiis, & ſanioris Phiſicæ proximioris ad explicationem Phenomenum naturalium exhibito ſpecimine, pugnam tandem aggredior cum Atomiſtis, & particulantibus, ut his ſuperatis Achillibus, laudem canamus Deo noſtro quatuor triumphantium elementorum Conditori.

Operæ pretium eſt, in principio ſermonis diſtinguere Athomiſtas in duas Claſſes. Prima erit eorum, qui materiam univerſalem Athomorum à Deo primo creatam admittunt. Secunda erit eorum, qui hanc materiam univerſalem præſtitiſſe, perſuaſum habent. Utraque autem Claſſis inſubſiſtens abſurda, & Sacris litteris contraria probabitur authoritate, & ratione.

Quo ad primam Claſſem aſſero eſſe contrariam Sacræ Geneſi, ideoque damnandam, & confutandam, eo quia docet Propheta Moyſes. *In principio Deus creavit Cœlum, & Terram*, & pro Cœlo, & Terra omnes Sancti Patres, & Interpretes Sacræ Scripturæ intelligunt creata quatuor elementa, ut lucculenter fuit firmatum in tractatu de Elementis, & addidit. *Terra autem erat inanis, & vacua*, quo oſten-

oſtenderet, non adeſſe Atomos, neque materiam univerſalem; Nec decens quippe erat, Sapientiſſimum rerum Architectum voluiſſe in productione rerum infinitam Atomorum trituram, quando indita elemntis energia ſatis eſſe videtur ad præſtandam rerum omnium productionem.

Cujus argumenti robur magis eluceſcit ex reflexu, quod tot Candidati viri multiplicibus rationibus probarunt elementa diviſim, & ſeorſim ſumpta eſſe ſufficientia pro compoſitione corporum naturalium, Teſtis eſt recentiſſimus Helmontius, qui ſolam aquam unum ex elementis aſſignat pro materia omnium Corporum naturalium, & Hipocrates, qui ſolum ignem, & aquam duo ex elementis, necnon Hermolaus, qui ſolam Terram; & Zeno ſolummodo ignem, quamvis à Communi Philoſophorum caterva quatuor Elementa ſanciantur, cum quatuor in his rebus, quæ Cœlorum ambitu concluduntur, patibiles ſunt qualitates primas, calorem; nempe, frigus, humiditatem, & ſiccitatem ſenſuum experimento comprobatas. Eorum autem ſingulas decet in aliquo ut primo, & Principe ſubjecto ineſſe, in quo totam eam obtineant intenſionis amplitudinem, quam aſſequi ſecundum Naturam poſſunt, & quod in uno quoque genere, ſit veluti caput reliquorum.

Hinc vecordes, & delirantes Atomorum defenſores vocantur per Divos Baſilium homil. primam in hexameron, Ambroſium lib.1. in hexameron cap. 2., Auguſtinum epiſt. 56. ad Dioſcorum, Gregorium Niſſenum orat. 1. in hexameron. Quin etiam in directorio Inquiſitorum part. 2. quæſt. 4. num.12. inter antiquorum Hæreſes, & errores connumeratur hæc propoſitio, ut jacet: *Qualibet res ex Atomis minutiſſimis corpuſculis conſtituitur, & quan-*

do

do Atomi dividuntur, res corrumpuntur, quando uniuntur, res generantur. Cum qua propoſitione ſi veluti lydio lapide compares omnes recentiorum Philoſophorum Sententias, paucas ab hac Hæreſi diſcrepare reperies, ut inferius videbitur, & tamen proh dolor! Quot, qui profitentur Catholicas veritates, has meas redargutiones ſubſannabunt, quaſi ut Philoſophia convenire non debeat cum ſacris dogmatibus, & ſumma impunitas ſit, turpes Epicureas, & Democriteas patrocinari ſententias, quapropter Tirones meos admoneo cum D. Paulo ad Coloſſ. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam.*

Repugnat ulterius prima Componentia decernere Atomos, quas nonnulli Atomiſtarum impatibiles, & inalterabiles, alii indiviſibiles faciunt, nam ſi impatibiles, & inalterabiles eſſent, corpora impatibilia, & inalterabilia eſſe opporteret juxta inconcuſſum Philoſophorum axioma, *propter quod unumquodque tale, & illud magis*, ſed naturalia corpora patiuntur, alterantur, & diſſolvuntur, & conſequenter ex his non conſtant, ut præclariori ratiocinio annuit noſter Pater Galenus lib. de elem. ex Hipoc. & Ariſt.

Nec minus ex Atomis indiviſibilibus poterunt componi corpora, dum indiviſibile per ſe neque poteſt eſſe continuum, neque contiguum, ut fiat nexus, & partium ſodalitium, ſi quidem, ut fuit enunciatum in Galeno redivivo, continuum eſſe non poteſt, quia ratione Mathematicæ continua ſunt, quorum ultima, & extrema ſunt unum, indiviſibile autem ultimum non habet, nec extremum diſtinctum eſt ab eo, cujus eſt extremum, ideoque nequit eſſe continuum; nec ultra poteſt eſſe contiguum, quia contigua ſunt, quorum extrema ſimul uniuntur, & ad invicem ſe amplexantur. Quapropter

pter cum indiviſibilia nec tangi, nec uniri poſſint, eo quod indiviſibile, eſt inſectile, non habet partes, nec eſt partibile, nec quantum, cujus partes quantitativæ poſſint cum aliis concatenari, ac in unum Corpus conflari, ob id ſi indiviſibile addatur indiviſibili, continuum majus non efficiet, & per conſequens indiviſibiles Atomi nequeunt eſſe principia componentia, præter alias rationes, quas Scholaſtici communiter adducunt, illiſque in præſenti non utor.

Quo ad ſecundam Atomiſtarum Claſſem magis atheiſticam,& ſacrilegam, qui æternam credunt univerſalem Atomorum materiam, ipſos primum interrogo, vidiſtis ne unquam fieri quidquam, niſi ab aliquo præexiſtente? Si Atomos præexiſtitiſſe contenditis ab æterno conditæ erunt Magiſtro, dum quicquam fieri non poteſt, niſi aliquo prius præexiſtente? Siquidē omne finitum pendet ab alio finito,ergo debemus pervenire ad infinitū,quod non pendeat à finito,& ita ad Primam Atomorum Cauſam, à qua jam primo creata fuere elementa.

Ulterius ſi æternæ ſunt Atomi omnium rerum parentes, quo in loco (reſponde ſi potes Atomiſte) ad res formandas ſe congregabant, ſi cum olim nihil omninò fuerit præter Atomos, & materiam univerſalem, nec ipſe quidem erat locus, quem occuparent? Quis deinde motus ineſſe poterat Atomis vita carentibus, niſi ad centrum, at ipſum centrum, tunc Atomis deerat, dum ipſo loco deſtitutæ exſtiterant. Fortaſſe inſita, & propria virtute aliunde, quam ad centrum ferebantur Atomi? alites ergo erant per aeris regionem volantes, ſed ſi hæc materia univerſalis Atomorum quo tempore fuerit commota, cęcoque confluxu in corpora combinata, & quem inde locum primo conſtituerit, ignora-

tis, quomodo per aerem volitabant? Si non aderat nondum ab ipſa conſtitutus.

Ubi nam erat ò recentiores Philoſophi materia hæc univerſalis in prima mixtorum corporum productione in varias particulas diviſa? Ubi indiviſibilia corpuſcula, moleculas componentia nidum, ſeu tabernaculum habuerunt, niſi in veſtro inani intellectu à Sacris paginis alieno? Non ne erudit nos Sacer hiſtoricus Moyſes: *in principio Deus creavit Cœlum, & Terram &c. Terra autem erat inanis, & vacua*; Si inanis, & vacua ergo non aderant Atomi, nec univerſalis materia, quia ut legitur apud Gerardum Joannem Voſſium de Phiſologia Chriſtiana, & Theologia Gentili tom. 2. lib. 7. cap. 7. eſt Hæreſis Valentiniani, Hermogenis, & Sabellii, quos Tertullianus vocat Hæreticos materiarios, & cap. 23. adverſus Hermogenem dicit eſſe adverſus Sanctam Eccleſiam, & Sacram Scripturam, quæ docent omnia fuiſſe facta à Deo, nec addidit ex materie, quod ſatis indicat, fuiſſe facta ex nihilo.

Unde ſciant Atomiſtæ, quod ſi accipiant Chaos pro prætenſa materia univerſali Atomorum, ut inter Philoſophos hodie quaſi communis eſt error, non concordant neque cum Divo Auguſtino, neque cum Tertulliano, aliiſque Eccleſiæ Patribus, ut latius præmonui in tractatu de Elementis, ſed ut magis ſigillatim, & efficaciori modo hanc de Atomis Doctrinam adeo Orbi Chriſtiano pernicioſam pertractemus, ne pigeat Lectorem recentiorum Coripheos ſub trutina parumpar convocare.

§.IX.

§. IX.

Confutantur ma[illegible]is expreſsè in hac materia Nonnul[illegible]m Authorum recentiorum abſurdæ opiniones.

DIſſonans mihi videtur Sacræ paginæ primo Helmontii,& Sequacium Sententia, qui tam oſcitantur pro omnium rerum ſufficienti principio aquam ſtatuunt, quaſi aqua dicatur, *à qua ſunt omnia*, interpretando proprio Marte verba illa Sacræ Geneſis: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, ut in ea tanquam materiali principio imprimeret ideas, & rerum ſeminia; ſed ſi Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, quis tibi revelavit, quod veluti ſator frumenti ſparſerit ideas, & ſemina rerum? Quis fuit ejus conſiliarius? Non ne nos docet Propheta Moyſes, quod dixit Deus in Geneſi: *producat Terra herbam virentem facientem fructum juxta genus ſuum*, & alibi: *reverteris in terram, de qua ſumptus es*. Si ergo ex virtute indita Terræ germinat ipſa herbam virentem, ac ipſa cum cœteris Elementis porrigit materiam, quommodo omnia componuntur ex aqua? Si in campo Damaſceno ex luto,ſive limo Terræ fabricatus eſt homo maximus inter animalia paſcentia Terram, quomodò Elementum componens tantummodo aqua ſtatuitur! *Si reverteris in Terram, de qua ſumptus es*, quomodo omnia conſtant ex aqua? Quid fortaſſe deſunt experimenta in analyſi chimica,quæ educunt ex entibus naturalibus ſpiritum, ſulphur Aquam, & Terram, ut in confeſſo eſt apud omnes, quod opus ſit hodie, revocare ad lucem conſepultam Mileſij ſententiam de aqua rerum omnium principio?

Nec aliquis dicat cum Petro Fabro lib.3. cap. 9.

 quod

quod radicaliter in aqua inſint omnia Elementa, quod nimirum aer ſit ex ſubtilioribus aquæ partibus, tanquam aqua rarefacta, ex ſubtiliſſima conflentur Cœlum,& lux,ex craſſiori producatur Terra, quia hæc non ſolum contradicunt aſſertionibus ab ipſo factis in lib. 1. cap. 13. ubi recenſitæ materiæ univerſalis, ſeu abyſſi eſſentia commota ſecundum ſua innata principia tunc puriſſima ſulphuris pars diviſa eſt in ſolem, & ex minus pura ſulphuris parte cum puriſſima Mercurii procreati ſunt Cœli, & ex altera Mercurii parte minus pura factus eſt aer, & ex Mercurii parte,cui ſubtiliſſima ſalis pars commiſta eſt, facta eſt aqua, & ex altera ſalis parte, in qua recrementa naturæ, & ſordes abyſſi erant, procreata eſt Terra. Sed perſpectum eſt omnibus de Chriſti ovile, quod hæc imaginativæ Fabri deliria ſunt abſona, & oppoſita Sacræ Geneſi, & Sanctis Patribus, qui unanimiter Cœlum, & Terram cum quatuor Elementis ex nihilo creata eſſe ſentiunt, minimeque ex natura univerſali, ſive decantato abyſſo.

Nec inſuper aqua pura Elementaris poteſt conſiderari modo ſubtilior, modo ſubtiliſſima, nunc tandem craſſa, quia Elementum impermixtum unicum, & homogeneum unius ſolum eſt particeps naturæ.

Secundo abſurda mihi videtur aliàs indicata Roberti Boylis opinio in ſuis dubiis, & paradoxis Chimicophiſicis circa Spargiricorum principia propoſitio prima, quamvis ipſe dicat: *Non videtur abſurdum concipere in prima mixtorum corporum productione materiam univerſalem in exiguas particulas diverſis magnitudinibus, & figuris inſtructas,varieque motas, actu diviſas fuiſſe*, primo quia hæc propoſitio non longe diſtat à condemnata ſententia ſceleſtiſſimi

mi Epicuri de Atomis diverſæ magnitudinis, & figuræ ab univerſali materia diſgregatis,fortuito, varioque confluxu in corpora coaleſcentibus.

Secundo quia aſſerit,materiam univerſalem fuiſſe motam, quaſi per talem motum omnipotens evaſerit rerum geometra. Tertio quia non concordat cum Sacra Geneſi, quæ ſi docet, in principio Deum creaſſe Cœlum, & Terram, feciſſe Lucem, & Firmamentum, & imperaſſe Terræ, & Aquæ, quæ Animalia, & Plantas producerent, ſequitur porrò,abſurdum eſſe concipere, commoviſſe materiam univerſalem, ut ab ea varie commota miſta corpora coaleſcerent; tanto fortius, quod in tractatu de Elementis ſatis ſuperque probavimus authoritate Sanctorum Patrum, hanc prætenſam materiam univerſalem comprænhenſam in chaos ſive abyſſo nil aliud inferre,quam profunditatem aquarum, & confuſionem,ac refundi non poſſe,niſi in quatuor adeo probatis Elementis.

Tertio terque, quaterque doleo hanc putridam de Atomis opinionem requieſcentem cum Epicuro infauſtæ memoriæ portento ad lucem quoque revocatam eſſe à Joſepho del Papa in Epiſtola ad Franciſcum Redi de calido,& frigido pag.98. & ſequentibus, ubi adſtruit pro principiis rerum naturalium indiviſibilia, & minima corpuſcula vulgò moleculas dicta,nimirum ſimplices Atomorum compoſitiones,quæ ſecundum variam figuram,compoſitionem, & magnitudinem varias res naturales producant, ſed in hujus opinionis confutationem nunc mihi ſufficiat citare, quæ dicta ſunt in Galeno redivivo, & quæ ſunt apud Sennertum in Epitome naturali cap. 4. de continuo, & infinito, & funditus apud Antonium Goudin Ordinis Prædicatorum part. 1. Phiſic. diſp. 3. art. 1. ubi per plures herculeas ra-

tiones cum exemplo naturæ Artis, & Mathematicæ continuum, ut ſunt corpora compoſita, probat, fieri non poſſe ab Atomis indiviſibilibus, quarum extrema principium ſcilicet, & finis non ſunt, quò connectantur in corpora, & quod tandem ſit opinio ab Eccleſia damnata.

Quarto ſub ſacra Critica venit Author Anonimus in liberculo, cui titulus eſt *Saggi Anatomici*, in quo ſibi format ideam, omnia corpora componi ex corpuſculis inſenſibilibus differentis magnitudinis, & diverſæ figuræ, quæ ſimul unita parvulos tumulos, ſeu moleculas componunt in quinque genera diviſas Alkali, acidum, ſulphur, phlegma, & Terram, quæ opinio abſimilis non eſt à Democritea, niſi præter voluptuoſas nomenclaturas, immo pejor, & abſurdior, etenim, ut notat Pater Lucheſinus in parenæſi ad Atheos ſigno 5. ab Empedocle, & Democrito non fortuito in unum congeſtis corpuſculis, ſed à Divinitate diſpoſitis in ordinem, tributum fuiſſe rerum omnium molimen, compertum eſt, quod non animadvertimus, præſtitiſſe Doctorem anonimum, detrahendo debitam gloriam Summo Deo opifici, ſed perperam hujuſcemodi moleculis, acſi eſſent omnipotentes Deæ, rerum fabricam committit. Unde jure merito Joannes Freitagius diſput. 2. theſi 1. pag. 69. contra hujuſmodi Philoſophantes exclamat. *Nunquid Hæreticum eſt, ſtatuere nos, & noſtra corpora maximam, & nobiliorem partem conſtare ex Atomis, captavit ne, & venatus eſt Atomos in aere volitantes Deus, ex quibus partim creavit hominem, an primum creavit Atomos, & ex Atomis hominem? an cùm Terram, & Aquam juſſit producere animantia, voluit ex Atomorum conglomeratu nihil Elementaris naturæ habentium, eadem partim produci? quam nobis cudis Geneſim! Hæreſibus Theologi hæc opinionum*

nionum monſtra ſcuticis explodenda annumerant. Vide Chemnitium in loc. cæteroſque Theologiæ præclaros Miſtas. Abi ad explicationem operis Sextiduani, pone ſequentem.

Numquid inquam, ipſe reaſſumendo argumentum, iſta prætenſa corpuſcula inſenſibilia non participant de materia, ac ab eadem non componuntur? cum nequeant eſſe actus puri, quia hoc eſt ſolius Dei, ſi autem debent componi ex materia, aſſignent quæſo nobis Atomiſtæ aliam materiam promptiorem, ac ſimpliciorem Aqua, Terra, igne, & aere, ſive calido, humido, frigido, & ſicco, à quibus quotidie Orbis Terrarum afficitur, reficitur, & alteratur? Nec ut declinet à via bona, ſufficiens eſt fulcimentum dicto Authori Anonimo, conſtituere AlKali, acidum, ſulphur, & flegma, nam hæc ſunt corpora ab ignis violentia larvata, & aliis compoſita, ac patiuntur illas exceptiones, quas diffuſe adduxi in Scrutinio IV. de principiis Chimicis, adeo ut ſupervacaneum ſit, alias rationes adducere.

Quinto tandem invitus accedo ad illuſtrem Malpighium, cujus opera ſumma ſemper proſequutus ſum veneratione, ſed æqua lance, & rigore equilibrando recentiorum opiniones, non admodum laudabiliter in ſuis operibus poſthumis p. 58. ſcriptum reperio: *Summi enim Opificis induſtria animal fabrefecit, & particulis minimis pſalmavit, quarum aliæ mutua adaptatione conſiſtunt, reliquæ perpetuo fluunt pro functionibus edendis, hinc ad ſtatutum tempus à natura totum conſiſtit, decreſcit, & ſolvitur, ita ut ſenſim moriamur, hæc autem omnia neceſſitate materiæ, & motu contingunt: manutenetur vero talis compages, & ratio motus in viventibus à principio vitæ, cujus ratio, licet nobis ignota ſit, probabiliter tamen ex perenni animalium ſanguinis motu, & nervei ſucci pro-*

pagatione deducitur. Verum eſt ò Malpighie, quod jugis rerum Parens animal fabrefecerit, ſed non dicit Sacra Geneſis, ex particulis minimis illud conflaſſe, ut alibi adnotavi, ſed ex materia Elementari, nec conſiſtit ad ſtatutum tempus à natura præſcriptum, ſed à Deo naturæ Authore, ut admonet S. Job. *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*. Nec hæc contingunt neceſſitate materiæ, & motus, ſed ab excelſa Dei providentia, & voluntate ludentis in Orbe Terrarum juxta Oraculum Joannis 5. *Pater meus uſque adhuc operatur, & Ego operor*. Sed de hoc diffuſiùs in ſequentibus.

Jam mihi patet, hanc tuam Doctrinam deſumptam fuiſſe à venerando Hipocrate 1. lib. de Dieta art. 6. ubi verba faciens de generatione, & corruptione ſequentia profert. *Omnia hæc illis contingere ineluctabili neceſſitate, nulla prævia in illis electione, aut cognitione: rebus enim quibuſdam hìc illuc impulſis, ac demum coeuntibus, unamquamque illarum viam tenere à natura aſſignatam*. Sed audi Prophetam exclamantem; *nolite docere ad inſtar gentium*. Et deinde lege Hipocratem in Scrutinio ſequenti, & §. 6. hæc explicantem.

Demum neminem latet, quod ratio motus in viventibus eſt quidem à principio vitæ, quæ eſt anima, ut habetur in Geneſi, *& inſpiravit in eo ſpiraculum vitæ*, nimirum animam, & reſpectu cœterorum animalium pariter docet eadem Sacra Geneſis. *Producant aquæ reptile animæ viventis. Producat Terra animam viventem in genere ſuo Et univerſis, quæ moventur in Terra, in quibus eſt anima vivens* Cujus ratio minimè nobis Chriſtifidelibus ignota eſt, qui cõſtemur conſtare corpore, & anima rationali, ac immortali, quę eſt, ut dixi, fons, & principium vitę, ac corporis motus; Verumtamen ignota eſt Atheis, & Atomiſtis,

qui

qui nos conſtare ex Atomis indiviſibilibus ſentientes, animam indiviſibilem à corpore diviſibili non diſtinguunt, & Sacram Geneſim veritatis magiſtram ignorant.

Quapropter admoneo vos amicos Medicos cum D. Paulo ad Coloſſenſes 2. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam*, & cum D. Hieronymo in epiſtola 2. ad Damaſum Papam. *Philoſophia eſt Dæmonum cibus*, quæ documenta præcipue verificari de moderna Recentiorum doctrina, fidem facit Pater Franciſcus Marinus Perſennus Ordinis Minimorum Comment. in Geneſim, qui (ut præmonui in præfatione ad Lectorem) loquens de Atheiſtis inter præcipuas cauſas recenſet inordinatum ſtudium, nimiamque ſollicitudinem, qua in rebus naturalibus incumbunt, & eorum motus omnes, opera, proprietates, & affectiones in cauſam naturalem referant, adeout nihil illis ſupra naturam videatur, *hinc ſit, ut Philoſophi, atque Medici atheiſmo faverint, ac in eum inciderint*; Stricta quippe eſt affinitas inter Atomos, & Atheiſmum, ita ut paulatim uniantur, donec Atomus, finiat in atheiſmum;

Negligite ergo atomos, & inſenſibiles particulas, ne vos tandem inſenſatos reddant, & virium nervos intendite ad praxim medicam, qua magnopere indigemus juxta hipocratica principia pro curandis ægrotis, quia tunc Diſciplina Medici exaltabit caput illius, & coram Principibus collaudabitur, ut promiſſionem reliquit Eccleſiaſtes, & noſtrorum Prædeceſſorum exiſtimatio confirmavit, dum ipſe receptui canendo, veniam à Fautoribus precor, ſi Atheiſmum Epicuri in particulis formidans, hæc contra Authores recenſitos conſcripſerim.

De ſacra hodiernę oppoſita Philoſophia,

In qua temerariæ objurgantur opiniones illorum, qui in rerum productione, & generatione, Cauſa Prima præpotenti neglecta, independenter ad cauſas ſecundas perperam recurrunt.

TRACTATUS II.

SCRUTINIUM I.

De duplici omnium rerum in genere principio.

DIVINA Oracula multum ad Philoſophiam conferre, ajebat Pittagoras cæcæ gentilitatis Philoſophus. Unde ne miretur Lector, ſi ad hauriendam veritatem; quam odit Mundus, latentem in Democriti puteo, etiam ipſe ad ſacra dogmata confugium petam, nam his Ducibus ſtellæ ad inſtar antecedentis Magos, ad veritatis Templum ſecuriori tramite pervenire fas eſt.

Quidquid ergo in hoc ampliſſimo rerum creatarũ Theatro humanę cognitioni ſeſe offert contemplandum, duplex habet principium extrinſecum unum, alterum intrinſecum. Extrinſecum eſt infinita Dei Potentia, quæ ſub nomine naturæ, & formæ vulgus adumbrat, omnia inviſibiliter movens, atque gubernans. Intrinſecum, quod rei compoſitionem tanquam ſui partem eſſentialem ingreditur, ſunt quatuor elementa ſupra à nobis recenſita, quæ modificata, & determinata à Summo rerum Motore cuncta entia naturalia producere valent. Ita de hoc extrin-

trinſeco principio céſuiſſe videtur Ariſtoteles 1.Metaph.c.2.dicens,quod *Deus tum cauſa omnibus videtur, tum quoddam principium;* undè idem Deus,juxta Ariſtotelē eſt, qui complevit totum,continuam faciens generationem, & 1. de animal. partium cap. 5. viliora animalia contemplans, repetit: *Aggredi enim quæque ſine pudore ullo debemus, cum in omnibus naturæ Numen, pulchrumque inſit ingenium*. In cujus rei confirmationem, ne diſpliceat celeri paſſu properare ad Socratem paulo ante mortem apud Platonem in Phedone loquentem, ac inde cedatur palma huic irrefragabili veritati: *Graviſſimè,* inquit, *errare eos, qui in cauſis ſecundis immorantur, primas verò negligunt, nimirum Deum principiorum, & cauſarum cauſam.* In hoc ſenſu Scaligeri zelus 2. de plantis reſonat: *Deus neque otioſus, neque deſidioſus, neque in opere, neque extra opus, ſed ſine opera operis, caput, principium, medium, finis, totum, & uno verbo omnia tum expleam, tum ambiam, tum ſuperem, ipſe, cui ſimpliciſſima, atque indiviſibili intellectione ſæculi facta univerſa, ita ut ſuum quæque finem, & ordinem mancíſcantur.* Et Toſtatus cap. 1. Geneſ. fol.76. ait, *Deus præcipuè, ut cauſa ultima effectiva concurrit in connexione cauſarum naturalium ad omnem quantumvis leviſſimum actum.*

Ad hoc principium extrinſecum Divinum tendunt ò Scholaſtici, veſtræ formæ incognitæ, & qualitates occultæ, incaſſum eſt à Natura, quæ larva, & chimera eſt, rerum naturalium mirabiles effectus perquirere, dum incapax, ac expers rationis ubique Terrarum diffuſa miracula agere ipſa nequit; ideo doctus Scaliger exerc 307. ſect. 29. formam candidè definiendo ait: *Forma res Divina eſt, cujus exquiſita cognitio nos latet, quare ulterior diſquiſitio moroſi, atque ſatagentis animi eſt: humanæ ſapientiæ pars*

eſt,

eſt, quædam æquo animo neſcire velle. Cui alludens Sennertus de formarum origine differens, ait, *quod quanquam intellectus, & mentis plantæ ſint expertes, formæ vegetativæ, ſive eorum ſpiritus ſunt principium Divinum, & immutabile determinans omnes actiones, & paſſiones rei naturalis*: Non enim decantatæ formæ inſubſiſtentes, niſi Divinum principium ſignificent, aliquid ex ſe peragere poſſunt, quia juxta doctrinam D.Pauli ad Romanos cap. 13. *Non eſt poteſtas niſi a Deo, qui operatur omnia in omnibus*. Huic igitur ignoto principio, quod Deus eſt, erigite aras, date palmas, canite laudes, ejuſque Divinam exaltate Providentiam.

Ita Sanctus Job, qui cognovit ſenſum Domini capite vigeſimo ſexto exclamat, *& videbitis opera Dei, qui extendit aquilonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum, qui ligat aquas in nubibus, ut non erumpant &c.* & cap. 38. & cap. 28. *ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ &c. qui producit ventos de theſauris ſuis* pſal. 134. & de liliis agri Salvator noſter dicebat Math. 6. *Quod Deus illa veſtierit*. Quin immo in rebus minoris momenti, quas à cauſis ſecundis immediatè quiſque crederet productas emicare hoc Divinum principium authoritate Sacræ Scripturæ probat Joannes Voſſius tom 1. lib. 8. cap. 1. de Idololatriæ origine, & progreſſu, ut ſunt fulgura, tempeſtates, ſiccitates, tonitrua, ſagittæ, & Concilium Braccarenſe primum cap 8. Priſcillianiſtas, & Manicheos anathemate fulminat, quia à Diabolo fieri, contendebant. Unde, ne phiſica uſque dum tot opinionum monſtris belluata in hanc ſacrilegam, & atheiſticam partem ulterius deflectat, inferius oſtendam imbecilles vires cauſarum ſecundarum, repugnantiam, & impotentiam, ac maximam injuriam, quam faciunt

Cauſæ

Cauſæ primæ, & increatæ hujus generis philoſo phantes.

§. I.

Oſtenditur, quod caſus fortuitus, & motus à Recentioribus admiſſus in materia non ſunt ſufficientes ad rerum productionem.

AN ex caſu in unum confluentibus particulis, ex quibus conflatæ res fuerint, interfuiſtis ò mentecapti Philoſophi, ut ex caſu primam illam, & ſequentem rerum molitionem arguere poſſitis? Quis diabolicus ſpiritus, quæ mentis inſania in animos veſtros immiſit fortuitum caſum ſimul cum motu omni ratione carentem, excellentiſſimum fuiſſe, & eſſe rerum Opificem? Quis illum docuit mirabilem induſtriam, perfectiſſimum magiſterium, & æquiſſimam geometriam? Unde nam audiviſtis litteris Tipographiæ temere, & caſu projectis fieri poſſe poema Virgilianum? & ex liquefacto ferro nulla arte digeſtum fieri horologium?

Si aliquis nunc proferret extemplò emerſiſſe ex atomis aliquam Urbem, compactoſque ex eiſdem homines Urbis Incolas, non ne Cachinnis exciperetur, & helleboro repurgandum eſſe, putaretis? Si inſignes Apellis picturas, & mirabiles Phidiæ ſtatuas, aliquis opinaretur, caſualiter excidiſſe à penicillo, & ſcalpro, non ne terque, quaterque inſaniret? Et tamen non diſſimilis mentis dementia veſtris implantatur mentibus, in aſſerendo captum luminibus caſum, & motum rerum productorem fuiſſe.

Sed heu lacrymabile fatum! hanc mentis inſaniam non ſine magno mærore in recentiores Medicos, & Philoſophos valde transfuſam eſſe video: Quid enim aliud ò recentiores Philoſophi, inferre pote-

poterit veſtra opinio, quod ex commota materia in exiguas particulas diverſæ magnitudinis, & figuræ facti fuerint Cęli, Sol, Aer, &c. ac ex earundem coalitione, & textura connectantur corpora, niſi quod ex caſu omnia miſta fiant? Nec vos excuſat ſubterfugium, hanc nimirum materiam univerſalem commotam prius fuiſſe à Deo, motumque illi determinatum inditum, quia incapax erat materia commota addiſcendi leges motus, & præordinationis. Unde ea pars philoſophiæ Carteſianæ tantopere à recentioribus celebratæ, quæ inſinuat Mundum meris rationibus mechanicis aut conditum, aut conſiſtentem, apud me non ſolum non admittitur, ſed tanquam temeraria opinio à Sacra Philoſophia exploditur.

Quia ridiculum eſt, aſſerere merum univerſalis materiæ motum poſt varias circumgirationes potuiſſe efficere diem, noctem, hyemem, Ver, Eſtatem, Autumnum, ortum, & occaſum Solis, Lunæ,atq;ſyderum motum,quæ ſunt certiſſima ſigna,& indicamenta, ſapientiſſimum Deum fuiſſe Authorem;eo quia materiæ motus non poteſt eſſe niſi uniformis, & eodem modo moveri ſe debet in unaquaque parte, minimave ejus particula, & ideo inefficax foret ad ullam producendam varietatem, apparentiam in natura, ac ita nec Solem, nec Stellas, nec Terras, nec Vortices.

At eſto fuiſſe materiam univerſalem modis variis commotam, diverſiſque exornatam motibus, dico non eſſe veriſimile, ut veſanus hic motus ad tam peritam rerum ordinationem, delineationem, & ſymetriam aſſurgere potuiſſe, quia mera materiæ agitatio ad hæc facienda ſuprema intelligentia caret, nec per unam univerſalem motus impreſſionem ſimul factam phenomena Mundi producta fore,

re, eſt credendum; aliud quippe eſt principium in natura, quod contra leges materiæ mechanicas luctatur, atque fortiter obſiſtit, non enim quia tot globuli in pileo agitati in talem determinatam figuram ſe conſtituturi ſint, vel quia pruina, & gelu inopinata quædam delineamenta imprimat referentia bella, aliaſque nugas, quæ nulli humanæ vitæ uſui inſerviunt, ideo concludendum eſt, omnes formationes in natura etiam corporum tum hominum, tum Brutorum à nullo alio principio, quam à tumultuario materiæ motu profectas eſſe.

Quia hæc ratiocinatio videtur ſane mihi haud abſimilis cujadam Villæ Incolæ craſſæ Minervæ, qui cum obſervaſſet Tripodem ferreum, quam emerat, tres habere pedes, & ſtare poſſe, expectabat etiam, quod ambularet, ſeque portandi onere levaret, ita inſani Motiſtæ videntes, quod confuſus hic particularum motus ad rudem delineationem duri, mollis, rigidi, fluidi, & conſimilium poſſit aſſurgere, non dubitant inde ſtatim conſequentias elicere, talem motum pergere poſſe, ſeque extendere ad diſpoſitionem materiæ in talem ordinem, quæ in ſe complectatur accuratam Sapientiam, & conſilium.

Verumtamen ſi pictam ab Apelle tabulam, ut ajebat ad Atheiſtas Pater Luchefinus, cœlatum à Phidia ſimulacrum veſtris oculis conſpiciendum obiicerent, illicò ſtatueritis apud veſtrum animum, præditos mente fuiſſe Artifices, atque intellectu ſolertiſſimo uſos in coloribus diſponendis, pulchraque tribuenda marmori forma, & pulcherrimum hoc univerſitatis opificium undique mirabile, commotæ materiæ, & volitantibus Atomis ratione carentibus tribuere poteſtis? Si armonicus concentus, ſeu ſuavis muſica veſtras demulceret aure, illicò

illicò ſtatueretis, non caſu, ſed conſulto à viva, ac mente prædita cauſa hoc peractum eſſe, & emortuo, ac nulla intelligentia prædito motui tribuere poſſibile eſt mirifica opera omnibus humanæ artis prodigiis longe præſtantia?

Reſpice ò Boyles immenſam herbarum Provinciam, Mineralium fodinas, & animalium Monarchiam, quam pulchritudinem, & induſtriam præſeferant, quantas utilitates, & virtutes in medicaminibus, aliiſque uſibus hominibus præſtent, & proculdubio dices, noſtras conſtituentes particulas ſolum in motu citas, hæc efficere non poſſe ſine omniſcio, & Omnipotente Deo, ter Optimo Maximo, rerum omnium principio.

Neque profectò crebrò repetita motæ materiæ conamina perpetua lege perennare res poterunt cum tanto ordine, & ſimetria diſpoſitas, niſi ad efficaciam Divinæ Providentiæ recurramus, nam (& probatur ad evidentiam) ſi una in hoc Mundi Theatro eſſet planta, unum animal, poſſet aliquo modo induci animus ad credendum, hæc duo mirabilia materiæ motę ſecundum diverſam magnitudinem, & figuram, quamvis nulla redderetur ratio, cur ponere non poſſet concitatus motus oculum in capite, aurem in facie, vel unicum facere oculum, unicamque aurem, animalia tripedia, & monſtroſa qualibet die, cur herbas cum tot virgulis, tracheis, & lineis indicibilis pulchritudinis, & formæ infallibili ſimetria efficere, dum in his factitandis non unus requiritur motus ſive orbicularis, ſive obliquus, ſive rectus, ſed multiformis, & implicatus, unus deſtructivus alterius: ſed reſpicientes ad multiplices, ſemperque eodem modo conſtantes animalium formationes, & herbarum productiones infinitæ ſpeciei, & generis diverſæ figu-

figuræ, habitus, corporis, inclinationis, induſtriæ & virtutis, alia cum cornibus, alia cum unguibus, alia cum venenis, alia ſine ipſis, ut ſileam immenſam vegetabilium varietatem, vix mente concipere poſſum, expertem rationis motum quomodocunque concitum hæc adeo admiranda præſtare potuiſſe, ſine Divina actuali providentia.

Nec dicant Saniores motiſtæ hunc motum Briareum à Prima Cauſa fuiſſe determinatum in materia, quia ſi hæc vis motiva, ſive facultas agens eſſet quo ad ſuos gradus determinata, in prima ſeminis actuatione agitaret vehementior, & tota tenella ſeminis maſſa diſſolveretur, ejuſque partes divellerentur, cum motus tunc eſſe deberet valde lenis, & mitis, ac penè nullus, ne tenerrimæ partes diſſociarentur, adaucto autem corpore, talis non ſufficeret motus, ut molem ſubagitaret corpoream, & longiùs ſe extenderet, & conſequenter hæc motus determinatio improbata, & inſubſiſtens non meliori ratiocinio fulcitur, quam ipſa facultas occulta nobis incognita.

Motus, figura, moles, ò Carteſiani, ſine luce, ſine Duce, ſine ingenio, ſine intellectu non poſſunt eſſe rerum inſignes effectores, non enim mechanica tot machinas, tot lævas, cuneos, & argana habet, quot in uſum ducit minimum animalculi corpuſculum in omni parte ſcientiæ regulis plenum, nec motus ſive rectus, ſive obliquus, ſive orinzontalis, aut quomodocumque molem in figura proportionata in ordine tot rerum naturalium efficere poteſt, quia motus non eſt ſapiens, non eſt Architectus, non eſt Deus Omnipotens Motor.

Non ne eſt incontrovertibile aſioma Philoſophorum, *nemo dat, quod non habet*, ſi vitam moles, fi-

K gura,

gura, motus per ſe non habent, unde daretur ipſis, quam non habent, vitam animantibus tribuere? non vivit motus, non vivit figura, non vivit moles, & tamen animalia omnia per vos ex ipſis conſtructa vitam degunt, vitales auras reſpirant, & nitriunt equi, & rudunt aſini fortaſſe deridentes veſtram præſumptionē, utpote qui eorumdem animas sēſitivas involatis, & ad pura authomata reducitis.

Abjuramus ergo veſtra philoſemeta de motu, & audiamus ProphetamMoyſem dicentem: *Germinet terra herbam virentem facientem ſemen juxta genus ſuum. Fiant luminaria, in firmamento Cœli, & dividant diem, ac noctem &c. fecitque Deus duo Luminaria Magna. Creavitque Deus cetę grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem. Faciamus hominem &c.* Ex quibus evidentiſſimè apparet, non motui facultatem producendi tribuiſse Deum, ſed ipſe voluit eſse ſupernus Factor, immò tribuiſse videtur hanc facultatem aquæ, & terræ torpidis naturæ elementis, & minime igni, & etheri, à quibus pendet motus, ut nobis indicaret, ſibi eſse reſervatum jus movendi, & dirigendi cauſas ſecundas, & materiales quoquò vult, & intendit.

Satis hic mihi arridet entuſiaſma Patris Lucheſini in Paræneſi ad Atheos, qui in redarguendo atheos, ait, convincat vos Etnicus Philoſophus Galenus, qui conſiderando corpus humanum præſcindendo ab anima rationali, aſserit ejus Authorem fuiſse mentem ſapientiſſimam, nihil inconſultò, aut fortuitò molientem, & palmam profeſſus eſt concedendam Atheis in cœcam cauſam omnia referentibus, ſi vel unam, quæ melius conſtitui poſſet, ex millenis, quibus hæc mirabilis corporis compages conſtituitur, venis, nervis, articulis inveniſſent. Ita ipſe Galenum Medicinæ paren-

parentem Medicis hiſce propono, palmam illis conceſſurus, ſi à decantato motu, ſive fortuito caſu, novum aliquod animalculi genus, quod nondum fuerit viſum, in hoc Mundi amphiteatrum prodire, nobis demonſtraverint. Dum receptui canendo, paragraphum claudit doctiſſimus Zanchius in explicatione operis ſextiduani lib. 7. de conſenſu omnium Theologorum pronuncians, *nullum quamvis minimum animal, quod non ſit factum à Deo*, non verò à motu.

§. II.

Oſtenditur eſſe quoque temerarias opiniones illorum, qui in rerum productione recurrunt ad Naturam, Formas, Animam Mundi, ſeu Spiritum univerſalem.

NOn eſt natura per ſe, ò Philoſophi, principium motus, & quietis, quidditas, & eſſentia rei, agendi radicale principium, rebuſque omnibus communis cauſa, ut vos blateratis, ſed veram definitionem nobis tradit Helmontius: *natura eſt juſſus Dei, per quem res eſt, quod eſt, & agit quod agere, juſſa eſt*, & Eugubinus lib. 6. de perenni Philoſophia cap. 5. docet: *natura univerſale hoc principium Deus eſt*, & apud Cœlium. *Natura nil aliud eſt, quam Deus ipſe, hoc eſt toti Mundo inſerta Divinitatis ratio*, eodem ſenſu Galenus lib. 17. de uſu partium cap. 1. *Naturam mentem eſſe*, ait, *quæ omnia penetrat*, & Ariſtoteles ad hoc univerſale principium reſpiciens, *Opus Naturæ, opus eſſe intelligentiæ*, affirmavit; Natura igitur non eſt prima ſubſtantia ingenita, ſeu perpetuum ſubjectum omnibus, quæ ad ortum, vel interitum nata ſunt, ſed extra Deum larva eſt, Chimera, fictitiumque nomen.

Angelica doctrina D. Thomæ 1.2. quæſt.1.art.2. in corpore clariori lumine quid ſit natura, nobis oſtendit, dicens. *Quæ ratione carent, in finem ab alio ordinantur, tota enim inrationalis natura comparatur ad Deum ſicut inſtrumentum ad agens principale. Neque vero Deum quoquomodo operantem naturæ nomine intelligere oportet, ſed ſecundum potentiam ordinatam, & ſecundum ſtatutas Mundi leges ordinatè agentem, vel ipſe etiam dicitur Divinus omnium rerum ordo, quo ſenſibilia quæque moventur, oriuntur, & occidunt.* Unde Divinum illud principium ubique diffuſum, quod ſub naturæ nomine adumbratur, eſt potentia, providentia, divinus ordo ab ipſo Deo rerum æterno motore directus ad Mundi gubernaculum, juxtà illud: *Ludit in humanis Divina potentia rebus.*

Quo verò ad formam congruit afferere, quod ad noſtram rem dixit Merindolus de his, quæ ad corpotis humani naturam pertinent tract. 1. *Non enim audiendi illi ſunt, qui cum Ficino aliam Deo inferiorem formam agnoſcunt per ſublunaria diffuſam: Quæ Mundi materiæ infuſa, ſeu vitalis Spiritus, ſeminum plenus per ſemina artificiosè ſingula diſponat. Quoniam hi in eo falluntur, quod Divina Majeſtate indignum putent, cum his rebus inferioribus implicari, & fœliciſſimam mentem non ita negotioſam eſſe debere; à cujus fœlicitate perenne illud rerum ſublunarium producendarum, & regendarum negotium plurimum detrahere imaginentur. Sed ò puerilis conceptus! menſurans altitudinem ineffabilis potentiæ* Dei *ad inſtar humanæ potentiæ, & imbecillitatis*, quando de Deo dicitur.

Unus Ego ipſa elementa rego, nec mole laboris,
Ut miſer, infirmuſque aliquis, fragiliſque fatigor,

Non ſubjacet laborum legi ſimpliciſſimus Spiritus Deus, propterea Salvator Noſter Joan. 5. dicebat: *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor.* Decebat

bat enim infinitam bonitatem Dei eorum omnium Rectorem, & Conſervatorem eſſe, quorum fuit Creator, immenſæque ſuæ, & nullo modo fatigabili Potentiæ id ipſum conveniebat; nihil enim repugnat omnibus rebus per eſſentiam, & potentiam eſſe præſens, cum omnia intra Oceanum ſuæ bonitatis quaſi immerſa contineat: Præeſt igitur Deus rebus omnibus regendis ſine fatigatione, & abſque ulla fœlicitatis diminutione, ut prima cauſa rebus omnibus ad agendum concurrens, & veluti ſuaviſſimus omnium Parens cuncta ſuaviter diſponens, ſingulorum defectus ſupplens, irrationalia ad finem rationabiliter dirigens, & quæ multiplici alteratione ad varias generationes præparantur, ad complementum generationis perducens.

Non eſt forma per vos admiſſa, ò Philoſophi, non eſt potentia occulta, non ſpiritus Architettonicus, quia in Scrutinio 6. jam vos præmonuvi cum Scaligero, quod *forma eſt res Divina, cujus exquiſita cognitio nos latet, & cum Sennerto, quod formæ vegetativæ, ſive eorum ſpiritus ſunt principium Divinum, & immutabile determinans omnes actiones, & paſſiones rei naturalis*. Deus Deus eſt, qui quotidie tot ſtupendos effectus profert, quos ut familiares, & conſuetos non contemplamur, ſi tamen ad illos mentis aciem convertamus, ſummam aliquam potentiam, & infinitam ſapientiam Authorem eſſe agnoſcere cogemur. Hic eſt, qui ſingula creando, certam illis in operando legem indixit, quam cum nequeant cauſæ ſecundæ per ſuæ naturæ infirmitatem explere, ipſe eiſdem, ut inſtrumentis uſus, quod peragendum eſt ſe organorum aptitudini, aut ineptitudini accomodans, abſolvit, & complet. Hic tandem eſt, per quem cum cœtera omnia ſint, & per ſe ſolus exiſtat, ad familiarem cum rebus crea-

tis concurſum ſignificandum, tota die ſub naturæ, & formæ nomine impropriè indigitatur.

Quis vobis revelavit (cum Philippono, Themiſtio, Marſilio Ficino, aliiſque Platonicis alloquor) animam habere Mundum, eamque eſſe effectricem rerum tam diverſarum. Si Orbis prægrande animal eſſet, una tantummodo anima animari deberet, & nihil niſi ſibi ſimile, ſuæque ſpeciei conforme producere valeret, ſed ſi infinita eſt animalium ſpecies, & herbarum, plantarumque origo, una anima potens eſſe nequit, hæc omnia tam diverſa promovere, atque efficere.

Hanc Mundi animam Cicero 2. de natura Deorum, & Seneca 6. quæſt. nat. cap. 16. volunt adaptari Terræ, & Aquæ, ſeu globo terraqueo. Terram inquiunt videmus ſeminibus propriis generare innumerabiles arbores, animanteſque, & nutrire, & augere etiam lapides quaſi dentes ſuos, & herbas quaſi pilos quamdiu radicibus inhærent, quæ ſi evellantur, ac extirpantur à Terra, non creſcunt. Quis fœminæ hujus ventrem vita carere dixerit, quæ tam multos ſponte ſua parit, & alit fœtus? Eadem eſt de corpore Aquæ ratio, igitur aqua, & Terra animam habent. Quæ metaphorica dicteria ſi proferantur à gentilibus Philoſophis ſacrarum licterarum lumine orbatis, ſunt potius laudandi, quam damnandi, quia tendunt ad excellentiam ingenii, ſed hoc ſacrilegum, quod has quiſquilias repetant Philoſophi Chriſtiani ad veram ſcientiam ſublimati in reflexione ſacrorum dogmatum.

Non animam itaque habet globus Terraqueus, nec anima, ſeu ſale univerſali plenus eſt Orbis, ſed ut canebat Poeta, omnia plena Jove, nimirum Deo rerum æterno Magiſtro, ente entium puriſſimo,

ſim-

ſimpliciſſimo, cauſa cauſarum, principio immenſo, & incomprahenſibili, niſi à ſeipſo, ita exclamavit Jeremias 23. *Deus Cœlum, terramque implet*, ſed de his ſufficiat, remittendo Lectorem ad Scrutinium 5. de Chimicorum entuſiaſmate, ubi efficatiori modo confutavimus Fabrum, alioſque chimicos, & Platonicos de ſpiritu, ac anima Mundi univerſali.

§. III.

Oſtenditur errare Eos, qui ad Cœlum, ad Solem, ad aſtra recurrunt.

QUi ad Solem, ſydera, Cœlum ad pulchriores, non ad majores pollentes arte confugiuntAuthores, intellectu hæc ipſa carent, ita non poſſunt eſſe efficientes hujus immenſæ Domus, ſcilicet rerum univerſitatis adeo induſtriosè conſtructæ;nimis quippe diſtant à nobis, & à Creatore leguntur addicta in ſigna, tempora, dies, & annos. Ita eruditus Franciſcus Suarez diſp. 113. de cauſ. proxim. effic. ſect. 2. num. 33. *Cœlum quidem ſcribit, propria virtute non poſſe efficere animas, niſi virtute Dei Authoris, & generalis Proviſoris naturæ, qui ſuo majori concurſu, ſupplet quidquid virtutis deeſt in proximis cauſis.* Unde erroneum eſt Solem, & aſtra generare ranam, muſcas, & murem, aliaqua vilia animalcula abſque cauſa prima, quia ut docet Ariſtoteles 1. de animal. part. cap. 5. viliora animalia contemplans: *Aggredi enim quæque ſine pudore ullo debemus, cum in omnibus naturæ Numen, pulchrumque inſit ingenium.* O vere aurea verba adamantinis litteris imprimenda non ſolum Atheorum, ſed omnium illorum mentibus, qui reducentes omnia ad cauſas ſecundas, nullam faciunt mentionem de Prima Cau-

ſa increata, cujus canere laudes tantopere tenemur.

Erudiat nos Galenus ſedulus naturæ contemplator, qui quo fuit doctior, eo fuit omnibus Philoſophis prolixior in decantandis laudibus, & hymnis Deo conditori, & Omnipotenti, ut videre eſt per omnes ejus libros de uſu partium, & præcipue 3. cap. 10. Canite igitur Opifici ſummo laudes, exaltate Divinam Providentiam, quæ uſque adhuc ſuo infatigabili modo operatur in Orbe Terrarum.

Nam quid ridiculum magis, magiſque dictu ineptum poſſe ſydera, Solem ſine intelligentia inſtrumenta parare, venas, arterias, oſſaque excavare, & ſingula ſuo loco diſponere, cum hæc maximæ intelligentiæ ſint munera, & à Sole, aliiſque aſtris nil niſi calor ad omnia indiſcriminatim deſcendat? Quæ veritas magis eluceſcit in conſideratione, quod ſemina rerum juſſu Omnipotentis Dei producta, fœcunda fuere, antequam aſtra condita eſſent, ita non producunt per ſe aſtra, & ſol, ſed vivifico ſuo calore explicant in ſeminibus prima latentia partium ſtamina.

§. IV.

Error eorum, qui credunt Chimica principia, ſive acidum, & AlKali, ſive minimas particulas, vel quatuor elementa poſſe per ſe immediate producere corpora entium naturalium.

PUtarunt Chinenſes homunculi ridiculi, Araneum inter animalia viliſſimum continua è ſuo ſinu filorum evolutione Mundi cauſam fuiſſe, ut narrat Pater Kircherus in Chin. illuſtr. part. 3. cap. 5. Ita non diſſimiles noſtri Authores, de quibus eſt præſens ſermo, chimica principia, ſeu inanes particulas ſolum ad motum citas poſſe per ſe immediate

diate in corpora coaleſcere, teſtimonium perhibent. Ridicula fuit porrò Chinenſium opinio, ſed non admodum ſana noſtrorum Authorum ſententia, nam quis crederet inſenſatas particulas, principia ratione carentia, ea poſſe connectere corpora, ad quæ non licet pervenire ſagaciſſimæ hominum menti?

Si egregiam miramur picturam, ſi arte magiſtra confectam in marmore ſtatuam, quis diceret ò garuli Philoſophi, colores variè miſtos, & ſcalprum feciſſe picturam,& ſtatuam? Non nè hæc proferens à ſanis viris cachinis exciperetur? Et tamen ad hæc ipſiſſima tendunt veſtræ Philoſophiæ. Quapropter ſicuti Artifices bene utendo coloribus, & ſcalpro, picturam, & ſtatuam ad lucem dederunt, ita Summum Illud Increatum, independens, ac ſapientiſſimè movens omnia, ſoloque ineffabili nutu dirigens, rerum primordia dedit, elementa particulaſve connectens elementares.

In his terminis ratiocinabatur D.Thomas de gubernatione Mundi, dicens: *Quod corpora naturalia, quæ cognitione carent, operantur propter finem ſemper, & eodem modo, ut conſequantur id, quod eſt optimum, quod à caſu fieri non poteſt, ſed ex intentione, at cum corpora naturalia careant cognitione, ergo debent ab aliquo dirigi, qui habeat cognitionem, ſicut dirigitur ſagitta à ſagittante, & per conſequens eſt aliquid intelligens, à quo res omnes naturales ordinantur ad finem, & hic eſt Deus.* Poterit ne aliquis veſtrum aſſerere elementa intelligere, particulas, ſeù AlKali, & acidum habere cognitionem? Si igitur non intelligunt, omnique carent cognitione debent per conſequens ab aliquo dirigi, veluti ſagitta à ſagittante, ut debitum finem in productione corporum conſequantur, alias ſequeretur abſurdum ſupra enunciatum,

tùm, quod colores varie miſti, & ſcalprum facerent picturam, & ſtatuam, minimeque Artifices ſenſati, qui re vera his tanquam inſtrumentis utentes, picturam, ſtatuamque faciunt.

Sæculorum admirationem traxit Phidiæ ingenium, qui in anulo Phetontem quatuor Equis vectum adeo mirabili artificio ſculpſerat, ut partes diſtinctæ, & ſexdecim apparerent pedes, ſed longe majus artificium in uno culicis crure membranulis, muſculis, nervulis, venis, arteriolis, oſſiculis, fibris, humoribus conſtructo vobis propono, nam præter talem articulationem in appendicem ſtuporis reperitur in illo vis movendi, ſentiendi, vegetandi, nutriendi, opus ſane omni humana induſtria, & ſapientia majus; Si igitur tanta admiratio, ſeſe offert conſideranda in uno culicis crure, adeo ut cogamur exclamare cum præcitato Ariſtotele vilia animalia contemplante -- *Aggredi enim quæque ſine pudore ullo debemus, cum in omnibus naturæ Numen, pulchrumque inſit ingenium,* quomodo admittere debemus præcitata componentia principia ſine luce, ſine Duce rerum naturalium efficientia fuiſſe?

Quid quæſo agere poterunt, ò Chimici veſtra principia, quid veſtra elementa, ò Peripatetici ſine Cauſa Prima dirigente, niſi ſe movere, & fermentare, ac inordinatim ſe coacervari? hæc enim eſt eorum activitatis sfera, non plus ultra eorum conamina tendunt.

Si enim dicatur, particulas fermentiſcibiles conſopitas in motum ciere, ac inde coaleſcere in corpora, ipſe illicò reſpondeo, quis deinde erit qui particulas fermentativas uniet conſopitis ad firmum ſtabiliendum ſodalitium? hoc ſimili modo ratiocinabatur I. C. Scaliger exerc. 307. ſect. 20. inquiens. *Si ignis tria elementa, tanquam partes unit,*

quid

quid erit, quod uniat ipſum tribus? ulterius quid enim illud, quod tantum terræ, tantum commiſcet cœterorum? Quomodo præfata ſcient, in qua parte debeat collocari caput, naſus, nares, & pedes, quantum debeat eſſe caput, quantum pedes, quantum manus? Si per ſe ipſa nil aliud ſciunt, nil aliud poſſunt, niſi fermentare? Temere igitur, metaque ulla jactabunt, jactabuntur, ſi divino Rectore careant. Num ex elementorum contrariorum pugna rerum productionem conſurgere putatis? toto cœlo aberratis, Deus enim Pater pacis, concordiæ amans, omnia ſuaviter diſponens, non elementorum bello ſuum producendi reliquit honorem.

Utitur itaque Deus ad perennandam corporum productionem quatuor recenſitis elementis, ſeu particulis ab ipſis ſtriatis, ſed productionis victoria non his inſenſatis convenit principiis, ſed ſuæ Divinæ Providentiæ, quam ſi cupitis videre (vobiſcum loquor Atheiſtæ) aſpicite Solem, aſpicite Lunæ curſum, Aſtrorum ordinem, noctuque regularem ſyderum girum, & hæc omnia licet mutula dicent vobis, tam nobile artificium non eſſe ſine Artifice ſuperno, quia ideo erecto capite vos proſpicere voluit Deus, ut per hæc viſibilia Ipſum inviſibilem videretis, & agnoſceretis. Reſpicite inquam, germinantem herbulam, qua partium ſimetria polleat, qua pulchra varietate, quo ſpectabili, & admirabili ordine vireat, floreat, & coacti eritis cum Galeno exclamare, hæc ſine Sapientiſſimo, & potentiſſimo Artifice fieri non poſſe.

Tandem contra noſtras aſſertiones arguet aliquis cum D. Paulo, *numquid Deus eſt cura de bobus*? nimirum non intenditDeus omnigenæ productioni, quam comiſit naturæ, formis, Soli, Aſtris, aliiſque creatis principiis.

Reſpon-

Reſpondetur curam non eſſe Deo de bobus individualiter quo ad rationem prædeſtinativam cócedo, quo ad conſervationem ipſorum nego, & in explicationem aſſerimus cum D. Paulo ad Hæbreos 2. *omnia, & in omnibus Chriſtus*, & ad Coloſſenſes 2. *Propter quem omnia, & per quem omnia*, & ex Sacra Geneſi *omnia per ſe operatus eſt Deus*, ſi per ſe, ergo non per naturam, non per formas, non per Solem, neque alia principia, ſed ſicuti in principio ſine ipſo factum eſt nihil, ita nec hodie, ſine Deo agente univerſali, cauſa prima, & primo Motore nihil fit, cum in omnibus ipſe ſit juxtà Theologos per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, *& ſuper omnia opera ſua Sapientiam effudat* Eccleſ. cap. 1.

SCRUTINIUM II.

De Sacra Philoſophia, in qua oſtenditur bonitatem Dei immutabilis eundem ſervare ordinem in præſenti rerum productione, quo uſus fuit in prima rerum Creatione.

POſtquam demonſtravimus impotentes vires principiorum naturalium, & cauſarum Secundarum, operæ prætium eſt, ſpecimen exhibere de modo, quo procedat Deus in proſequenda rerum productione, ne aliquis incautus ſibi perſuadeat, operari mehcanico, & fatigabili modo, Simpliciſſimo Spiritui incongruo: Quapropter Sacris dogmatibus Ducibus in re tam difficillima, nunc operari mihi videtur eodem modo, quo operatus in prima rerum formatione; In qua *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt, fiat lux, & facta eſt lux, fiat firmamentum, & factum eſt ita, congregentur aquæ, germinet terra, producant aquæ reptile,*

cre-

creſcite, & multiplicamini &c. & factum eſt ita, ut diffuſius apparet ex Sacra Geneſi; ubi notandum juxta Interpretes, quod *dixit*, non intelligitur propriè Verbum oris ſui, ſed ſua ineffabilis volũtas, qua mediante germinat terra, multiplicantur animalia, fœtuſque generantur humani: Vox enim iſta in terris in ævum remanſit, futuræ ſucceſſioni datura præſcriptum.

De permanentia, & continuatione hujus æternę voluntatis, ſeu Verbi Divini in Orbe Terrarum non ſolum fidem faciunt continuata rerum productionis ſeries, & ſucceſſiva multiplicationum ſoboles, ſed hæc nobis explanant Sacræ paginæ, Iſaias enim 54. 51. ait: *Sic erit Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud*, dicit Dominus, ubi eſt animadverſionẽ dignum, quod dicit, *non revertetur ad me vacuum, ſed faciet, quæcunque volui*, ad denotandum permanentiam uſque dum in rerum continuata productione.

Illuſtrant hanc veritatem verba Salvatoris Domini Joan. 5. *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor*; Si Deus uſque adhuc operatur, & ejus operari, eſt ipſum velle, ſequitur etiam hodie entia naturalia produci, quia Ipſe jubet, imperat, & vult. Explicat ulterius formationis rerum inſtitutum, & modum doctrina D. Auguſtini lib. 2. de Civitate Dei cap. 2. *Si quæris quis fecerit? Deus eſt, ſi per quod! dixit, fiat, & facta ſunt, ſi quare fecerit! quia bonus eſt, nec enim Authbor eſt excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec cauſa melior, quam ut bonum crearetur à Deo bono.*

Mirabitur aliquis, res naturales dictas rationis expertes perpetuam ſervare poſſe Deo ſuo conditori obedientiam, ſed num res inſenſatas, & ratio-

ne

ne carentes ſubitam præſtitiſſe ipſis Sanctis obedientiam, plena non teſtantur Martyrologia? Non ſtetit Sol, imperante Joſve! Non proſiliit ex duro ſilice aqua, virga Moyſis percutiente! Non maris ſolideſcunt undæ, Petro, & Franciſco de Paula ſuper Mare ambulantibus! Mare vidit, & aufugit, & Jordanus converſus eſt retrorſum, Chriſto Domino apparente! In formatione univerſi, non obedivit Terra, quando Deus protulit Verbum: *Germinet*? Non obtemperavit lux, quando dixit, *fiat*? Non celerem præſtitit obedientiam aqua, quando dixit, *Congregentur in locum unum, & producant reptile*?

Quid ergo repugnat, eadem præordinata obedientia non perpetuari propagationem, multiplicationem, & plantarum, herbarumque germinationem, mediante Verbo Dei plantis imperantis, ut intra ſe, & ex ſe ſemina generent, ad verificandum Noſtri Salvatoris oraculum: *Pater meus uſque adhuc operatur, & Ego operor*? & Iſaiæ prophetia; *Verbum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud*, dicit Dominus? tanto fortius, quod proteſtatur Salvator: *Cœlum, & Terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt*?

Subolfecit hanc veritatem Muſageta noſter Hipocrates lib. 1. de dieta, ubi hanc ad modum Oraculi ſententiam protulit, adumbrans ortum, & interitum rerum provenientem ex neceſſitate quadam Divina in Orbe imperante, verba ſunt: *Lux Jovi, tenebræ Orco, Lux Orco, tenebræ Jovi, commeant, & tranſmutantur illa hùc, & hæc illùc, & omni quidem tempore, illa horum, hæc vero illorum res peragunt, & quæ quidem vident, non cognoſcunt, & tamen hæc omnia neceſſitate Divina contingunt, & quæ volunt, & quæ nolunt*. A quo

licèt

licet ethnico Præceptore diſce, ò Malpighie hæc non fieri neceſſitate materiæ, & motu ut habes in operibus poſthumis pag. 58. ſed ex æterna Dei Omnipotentis diſpoſitione.

Quod Oraculum Medicinæ Parentis, ſi contemplarentur Medici, atque Philoſophi, tam antiqui, quàm moderni, non recurrerent ad facultates, & formas incognitas, ad Spiritus architettonicos, & ad motum determinatum in materia, nam hæc ad mentem Galeni non ſunt Sapientes, ideo ex propria ſcientia, & induſtria mirabiles res naturales non efficiunt; propterea magnus Hipocrates dicit: *Et quæ quidem faciunt, non ſciunt, quæ verò faciunt, ſcire videntur, & quæ quidem vident, non cognoſcunt, & tamen hæc omnia neceſſitate Divina contingunt;* producit etenim Terra herbam, prorumpit ſemen in germina, ſubagitat Gallus Gallinam, ſed quæ quidem faciunt non ſciunt, quæ verò faciunt ſcire videntur, moventur tamen ad hæc peragenda neceſſitate Divina, quæ eſt illud potentiſſimum Dei imperium ita volentis.

Ita benè Eraſtus part. 2. diſp. contra Paracelſum, poteſtatem Divinam toti materiæ in creatione rerum à Deo inſitam Authorem, & effectorem ponit, Sennertus de conſenſ. & diſſenſ. Chimicorum de generat. & miſt. cap. 12. ſubjungit: *Et hanc ſuam naturam Creatoris voluntate, & benedictione uſque ad ultimum terminum obſervant*: Cujus rei Eraſtus in allegato loco clarioribus terminis, reaſſumendo ſermonem, ita fatur: *Miſtionis autem Opificem eſſe mandatum Divinum, quo in Creatione præcepit Elementis, ut inter ſe concinnè ad ſingularum rerum generationem convenirent.*

Si tandem rationabilius hæc explicata audire cupias, ne pigeat adire Scaligerum exercit. 397.

ſect.

ſect. 20. ubi conſiderando impotentiam cauſarum ſecundarum, & aſſiſtentiam Divinæ voluntatis, ait, *Niſi quatuor illa elementa* (ſivè quæcunque principia) *Rectorem habeant, temerè, ac ſine modo, metaque ulla jactabunt, & jactabuntur, quid enim illud eſt, quod tantum Terræ, tantum commiſcet cæterorum, at oportet in uno quoque motum eſſe unum, & primum, non enim illa ſeſe movere ullum ad opus queunt &c.* & tandem concludit: *cientur ab Æterno Principio ad mutuam connexionem*; Ex quibus evidentiſſime apparet, moveri productiones naturales ab inenarrabili efficacia voluntatis Dei eodem conſimili modo, quo operatus eſt in prima creatione.

Quamvis non dicam plantas, & animalia rigoroſo modo ſuo Creatori obtemperare, quia ſunt incapacia præcepti, nihilominus propenſione naturali ex indita quadam lege commoventur in productione ad ſupernam obedientiam, veluti quando imperabat Jeſus ventis, & Mari, & obediebant. Nam ſicuti (ut habetur ex Toſtato in Geneſim) Sancti, qui ad culmen ſanctitatis perveniunt, exigunt miraculosè quandam obedientiam ex Elementis; ita non dedecere arbitror, ſi Eccleſiæ Patribus placuerit, generationem continuari in plantis, & animantibus per virtutem obedientialem præcepti Divini, *Creſcite, & multiplicamini*, quam obedientiam enunciavit Divinus Cythariſta in rebus inſenſatis: *Nix, glacies Spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus*, & ut perbellè notat ad rem noſtram Joannes Voſſius, *Cum omnia non temere, ſeu caſu fiant, ſed voluntate* Divina, *meritò Verbum* Dei, *hoc eſt juſſa* Dei *exequi dicuntur*. Nec quia intelligentia carent, hoc efficere nequeunt, quia ex lect. 3. Luc. *Non erat impoſſibile apud* *Deum omne Verbum*, ita nec impoſſibile, ut quadam perpetua lege à voluntate Divina dependen-

pendente, vegetabilia, & animalia obediant pro continuatione generationis.

Ita intellexiſſe videtur Pariſanus de ſubtilitate lib. 6. exerc. 1. cap. 4. quando dicebat, *cum initio Deus Optimus Maximus animantia creaverit, ac bona viderit, ac hominem tandem creaverit, & valde bonum vidit, omnibus, & ſingulis præcepit, imperavitque, ut creſcerent, & multiplicarentur, atque Aquam, & Terram implerent, tali ſubinde juſſu, eaque facultate recepta iiſque animalibus repleta ſunt omnia; Quoniam verò Deus ſemel creata perpetuò perdurare voluit, non individua, quæ interitui obnoxia ſtatuit, ſed ſpecies ad creati individui exemplar alia ſucceſſivè, & perinde perfecta ex eodem procreari voluit.*

Unde authoritatibus præcitatis vallatus ſanioris doctrinæ lumine procedo in explicatione rerum naturalium, abſque eo quod confugiam ad formas, ad Solem, ad Aſtra, ad Spiritus, quibus nulla producendi eſt communicata poteſtas, nam Individuis creatis juſſit Deus creſcere, & multiplicari, illiſque debitam communicavit efficaciam. Quapropter breviter conſiderare reſtat, in executionem potentiſſimæ voluntatis Divinæ fieri ſucceſſivè generationem plantarum, animalium, & hominum.

§. V.

De *generatione plantarum uſque dum promota mediante ſemine à* Divina *voluntate, & de generatione ſpontanea ſine ſemine contra ſenſum Sacræ Geneſis rejecta.*

AJebat Plutarchus cæcę gentilitatis Philoſophus lib. de remedio iræ in perſonam Euripidis: *Deus magna regit, parvaque noſtra in fortunæ manibus derelinquit*: Unde fortunæ Deæ tanquam Cauſæ tribuebat

buebat effectus Paganiſmus. Verum enim verò talis irrepſit error apud Philoſophicam Rempublicam, quæ differens de generatione vegetabilium neſcio quibuſdam fermentativis, & minimis particulis, & ſali ſpecifico, ſive, ut antiquitùs, formis vegetativis, & formatricibus facultatibus inexiſtentibus, & proprio Marte ideatis herbarum, plantarumque tribuit productionem, quod idem eſt, ac recurrere præfatæ Fortunæ, dum ſi ſtaret talis Sententia, ſupradictæ particulæ, & formæ vegetativæ mentecaptæ, & ratione carentes ſine lumine, & induſtria (ut dicitur ad fortunam) peragerent productionem, quæ ex omni parte ſuperna ſcientia ſcatet.

Quamobrem, ne tibi diſpliceat Lector, ſi Chriſtiano modo loquendo, nunc proponam Divinam voluntatem, ſivè ejuſdem præceptum, & poteſtatem rebus creatis primo inditam etiam uſque vigere, ac exequi commiſſum producendi munus, dum de hac veritate fidem faciunt Sacræ Litteræ, & ex Sacra Geneſi licteraliter habetur. *Germinet Terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper Terram, & factum eſt ita*, in cujus explicatione Sacri Interpretes exponunt per *Verbum germinet Terra, ideſt germen, & germinandi potentiam à me recipiat, ſeu germinandi Terra à* Deo *recepit immediate virtutem*, ita D. Baſil. homil. 5. S. Ambroſius lib. 3. cap. 6. S. Chriſoſt. homil. 5. & D. Thomas 1. part. quæſt. 71. art. 1. Cœterique Eccleſiæ Patres: Et factum eſt ita, *ut ſciamus Deo paruiſſe Terram*, ſubjungit D. Thomas.

Ex quibus jam ad licteram deducitur, Terram primò produxiſse herbas, & plantas in vim facultatis, & poteſtatis ſibi à Deo inditæ, deinde per ſe-

ſe-

ſemina ex ipſis producta continuari debere generationem, & ut docet Divus Cythariſta: *Statuit ea in æternum, & in Sæculum ſæculi, præceptum poſuit, & non præteribit*. Quid ergo opus eſt recurrere ad facultates formatrices, ad animas vegetativas, ad Spiritum Mundi univerſalem, aliaſque chimericas cauſas, & particulas, dum non his, ſed Terræ à ſummo Conditore data eſt poteſtas?

Ulterius ex Sacra Geneſi, quæ eſt veritatis fidiſſima Dux, habetur plantas, & herbas ex Terra naſcentes debere, veluti ſucceſſivas proles, facere ſemen, ut finem tandem ponamus celeberrimæ illi controverſiæ, num detur generatio ex putri, & an herbæ imperfectæ capillares dictæ, ut filix, ſalix, capilveneris, timus, & ulmus ſemen producant: Pro cujus reſolutione juxta Sacras Paginas decidendum eſt, non dari generationem ſine ſemine, ſeu ſucco, ſeu cinere, ſeu ramis plantæ generandæ, quæ eſſentialiter, & ſecũdum quid de ſemine aliquando participant, nam præter allegatam Geneſis partem apertiſſimè ſubjungitur: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper Terram, & univerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſemen generis ſui*, ſi igitur omnipotens Deus dedit nobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper Terram, nulla exoriri ſeu ex Terra germinare nunc poterit herba, quæ ex ſemine ſuam non recognoſcat productionem, dum ex inviolabili Divino præcepto omnis herba debet edere ſemen, veluti eſſentialem tincturam, & compendium partium principalis prototypi.

Ideo in hujus veritatis comprobationem Recentiorum Bottanicorum ſedulitas fidem facit, ex filice, capilvenere, ſalice, & timo ſuis ſtatutis temporibus, præcipue circa feſtum S. Joannis, ſemina prodire obſervaſſe, ut deleatur ab humanis mentibus

opinio de generatione ſpontanea, & ſine ſemine contra litteralem ſenſum Sacræ Scripturæ: cui Sacræ authoritati etiam profani Philoſophi adhæſerunt, & præcipuè Anaxagoras, qui explicando difficultatem generationis plantarum in illis locis, & terris, ubi ſemina adeſſe, non præſupponitur, dixit, *ipſum aerem deferre ex aliis in alia loca ſemina*; Et Seneca 3. de benef. c. 28. ortum omnium rerum docet, eſſe ſemina.

Nec aliquis objiciat, in terra uſta, & calcinata, ſi copioſo imbre irrigetur, multæ naſcuntur plantæ, prætendendo quod latitantia ſemina debeant deſtrui ab ignis activitate, quia non ſolum ſemina, ut docet Anaxagoras, illùc poterunt deferri ab aere, ſed caloris vi in terra uſta ex ſuis educi poſſunt carceribus ſemina illa, diſruptis nimirum repagulis per ignis rarefactionem; Vel latitant inter elementorum particulas, & imbres, inventoque ſibi familiari pabulo in germina explicantur.

Cœterum vel fatendum eſt juxta Sacram Scripturam, alias plantas produxiſſe illa ſemina, vel effectorem ſpecialiter fuiſſe naturæ Authorem cum ſuo omnipotenti *fiat*, quia quodlibet admirandum plantæ opificium in nullam cauſam refundi poteſt, nec minus in decantatam formam vegetativam, quæ nulla entitas abſoluta eſt, nec per veram actionem producatur, & ſapientia careat, ac ideo proteſtatus fuit noſter Salvator Matth. 6. de liliis agri, quod *Deus illa veſtierit*, ut omnem cauſam impotentem excluderet, ac ejus Divina potentia exaltaretur. Quare concludere oportet, non dari ullam plantam, quæ ſemen non producat, obediendo Deo Creatori, nec ulla planta niſi per ſemen, ſeu per ſuccos, ramoſve ſeminale principium in ſe cõtinentes ſurgit à terra; nec ullibi, quam in terra, ſeu in ali-

aliquo terram etiam continente reperitur, ne ſibi leges impoſitas tranſgrediatur; quomodo autem hoc eveniat, nunc enarabo.

§. VI.

De generatione, & nutritione plantarum ex ſemine, ac ſimul de foliis, floribus, fructibus, & coloribus, quo licet, faciliori, brevioríque modo explicatis.

POſtquam probavimus generationem plantarum ſortiri non poſſe, niſi mediante ſemine, generationemque ſponte factam ex putri, & ſine ſemine Sacrarum Litterarum lumine erroneam eſſe, recognovimus, deſcendendũ modò eſt ad explicationem hujus generationis plantarum ex ſemine: Cum itaque ex inalterabili Divino præcepto omnis planta ſemen producat, diſquirere Philoſopho dignum eſt, quid ſit hoc ſemen, quod magnalia facit in continuata ſerie productionis plantarum.

Supracitatus Seneca de benef. lib. 3. cap. 29. docet; *Semina omnium rerum cauſa ſunt, & tamen minimæ partes ſunt eorum, quæ gignuntur*, & ut proceſſum magnitudinis, & augumenti facili negotio intelligamus, exemplificat cum fluminibus, quæ à parvo principio in immenſum excreſcunt, ſubnectens: *Aſpice Rhenum, aſpice Euphratem, omnes denique inclytos amnes. Quid ſunt, ſi illos, illic, unde effluunt, æſtimes. Quidquid eſt, quo timentur, quo nominantur, in proceſſu paraverunt.* Et lib. 2. quæſt. nat. cap. 6. *Conſideremus*, inquit, *quam ingentem vim per occultum agant parvula admodum ſemina, quæ in comiſſurâ lapidum infixa, in tantum coaleſcunt, ut ingentia Saxa diſtrahant, & Monumenta diſſolvant.*

Parva igitur theca ſunt ſemina, in qua naſcituræ plantæ rudimentnm, ſeu exemplar involutum reconditur, de cujus admirabili natura obſtupeſcens Gregorius Magnus exclamavit. *Ecce in uno grano mi-*

nimi ſeminis latet tota, quæ naſcitura eſt arboris moles; & Thomas Fienus quæſt. 5. concluſ. 6. ſtatuit, *Seminis in terram conformationem non eſſe ipſam generationem eſſentialem, ſed ſolum novæ plantæ jam conſtitutæ, & in arbore genitæ perfectionem*. Tantum enim potuit benedictio illa Divina *Creſcite, & muliplicamini*, ut in infinitum plantarum ſemina, in quibus exemplaria reconduntur, multiplicentur, dicique poſſunt ſemina fœtus plantarum, ſeu planta alteri ad naſcens plantæ.

Semen igitur, ſeu, ut melius dicam, ſeminalis plantula in ſemine ruditer, & compendiosè contenta multiplici gaudet portione, cortice nimirum, putamine, membranulis, nucleo, germine, quæ ad perfectiorem plantam in tellure producendam inſerviunt: Corticis autem, & membranarum finis eſt, non tantum defendere interiorem nucleum, ſed plantam veluti fœtum involuere, & conſervare, qui cortex à communi nodo umbilicali, ſeu plantæ umbelico proficiſcitur tam verſus radicem, quam verſus truncum, ut induat ad inſtar induſii plantulam, eamque ab externa aëris inclementia protegat.

Nucleus verò eſt medulloſa quædam ſubſtantia albicans veluti purior plantæ alimenti extractus, quem ex medulla plantæ ortum ducere credimus, hic in primordiis naſcentis plantæ alimoniam, & veluti eſſentialem tincturam illi ſuppetitat, ex eo quia tunc prima radicis, & cacuminis filamenta præ eorum nimia tenuitate nequeunt recipere illos craſſiores ſuccos, quos terrena gleba ſubminiſtrat, propterea per communem nodum umbilicalem ſugitur, & traducitur ſuccus nuclei alimentitius, & eſſentialis verſus plantulæ verticem, indè verò radicemverſus, donec illa paululùm adoleverit, radiceſ-

dicesque capaciores,& aptiores extendat,ex quibus majorem nutritionem, & incrementum valeat recipere.

Germen tandem eſt ultimum plantæ opus, & generationis terminus, cui cortex, putamen, nuclei ſubſtantia, folia, fructus famulantur, eſt inquam verè naſcituræ plantæ corculum, quod ſi adimatur, progerminatio illicò perit; ita ingenioſę formicæ ex innata induſtria illud rodunt, ne triticum in horreis ſuis terreſtribus reconditum in eorum penuriam progerminet. Hinc in telluris Matris ſinu condito ſemine nuclei ſubſtantia colliquatur, præfatumquæ germen generationis principium explicatur, & ab inferiori parte radices emittit, ab altera verò in verticem erumpit, à qua expanſis binis foliis,veluti duobus pennigerorum alis trunco exili appenſis, naſcentis plantulæ formam oſtendit.

Cujus plantæ recenter natæ partes,quæ noſtro ſe exhibent,aſpectui aliç ſunt componentes,ut truncus, & radix, aliæ perficientes, & integrantes, ut rami, aliæ ſpeciem ſervantes, ut fructus cum ſemine, aliæ ornantes, ut folia, & flores, aliæ denique defendentes, ut cortex, ſpinæ, putamen. Unde hic, elevata mente ad naturæ Authorem, contemplamur primò,in hoc artificioſo naturę opere nihil deſiderari,nihil deficere,quod ad perfectionem operis ſive intrinſecam,ſive extrinſecam pertineat,ut debita laus, & honor ſit jugi rerum Creatori. Secundo ut ſaniori judicio mirabilia Dei proſequamur, perpendendum nobis eſt, quid ſit radix, quodque officium gerat, quid flores, & varii colores, quid tandem fructus, ut brevibus quidem, ſed ſuccoſis verbis plantarum oſtendamus genealogiam, quam tot Philoſophi, & Medici longis, & difficultatibus plenis epiſſodiis deſcripſere.

Radix ergo ſubſtantia poroſa eſt in tellure implantata, per quam his poris prævijs aliquatenus laxis alimentum in plantam ſubeat, & traducatur non abſimili modo, quo venæ lacteæ in Animantibus ex inteſtinis pro corporum nutritione ſuccos nutritios arripiunt; propterea radix ab humore glebæ diluta cœteris mollior videtur, & propter ſubſtantiam ſpongioſam facilè cedens.

Quomodo autem à radicibus ſurſum ad truncos, & ramos ſublimetur alimentum facilè ſe expediunt, qui recurrunt ad facultates attratrices, alitrices, virtutes magneticas, & ad alia hujuſmodi ignorantiæ velamina: Verum ipſe, chimeris hiſce relictis, ſedulo perpedens lignorum, & plantarum inflammabilitatem, Oleum, & Vinum, Spiritus, quinteſſentias, nonnulloſque volatiles ſales ex ipſis elicitos, nec non ſolis, (qui ignis purior eſt) activitatem tempore veris, quo præcipuè tellus imbribus madidum in multigenas plantas erumpit, aſſero valde rationabiliter, partes ignis, quæ inſunt, per quas ſupradictæ res ignitæ, & ſpirituoſæ procedunt, agere in partes humoris alimentitii, quæ à calore rarefactæ, ac impetu, motuque ditatæ facilè diſcurrunt per longos, interioreſque plantæ meatus, ſiquidem humor ille alimentitius, qui producitur, dum aqua plantis affuſa per mediam terram percolatur, & multa corpuſcula plantæ familiaria devehit, rareſcit, & commovetur ab igne, donec permeat, & exaltetur per plantæ meatus, & canaliculos in longum à rectis fibris ductos, ſicuti facit fumus, qui intra anguſtias retentus per tot deinde, quot patent foramina, erumpit non aliunde motus, quam à ſubjecto igne.

Quam doctrinam ſi cupiat Lector, non à mea rudi Minerva, ſed à Philoſophorum, & Medicorum

Prin-

Principe Hipocrate ab omnibus Medicis tam antiquis, quam recentibus æſtimatiſſimo audire, dignetur legere lib. 2. de diet.num. 17. & primo de diet.n.4.ubi hæc habet: *Ignis omnia per omnia movere poteſt, aqua vero omnia per omnia nutrire*: Hinc colliges materiæ alimentitiæ exaltationem non fieri ab aeris ambiente, ſeu à particulis nitro aereis ſuppoſitis in fiſtulis ſpiralibus, ſeu tracheis in lignea ſubſtãtia diſperſis, ut ſentiunt cum Malpighio Recentiores, cum aer potius moveat gravitãdo, quam ſublimando, ſed ab ignis energia, cujus ſolius eſt rarefacere, attenuare, movere, & ſublimare, ut in noſtris terminis docet Galenus loquens de digeſtione in libro de utilitate reſpirationis per hæc ſequentia verba: *Facit autem calidum commotionem pro eo, quod in continuo motu eſt*. Unde tali modo ad plantas ſublimato alimento, nonnullis inde partibus ignis reſolutis, tunc dictum alimentum rarefactum condenſatur, & ſolideſcit, ac ita arborea moles creſcit in longum, largum, & profundum, ſiquidem turgeſcente materia quaquaverſum, fibræ arboreæ ſucco plenæ diſtrahuntur, dilatantur, & propagantur, ac ita fit nutritio, & vegetatio plantarum.

Remanet modo deſcendere ad explicationem foliorum, florum, colorum variorum, & fructuum, ut ſupra indicavimus. Folia igitur ſunt nova veluti planta, in quibus princeps, & primaria fibra trunci loco habetur, aliæ verò fibræ laterales quaſi totidem rami inſerviunt pro ornamento, ac plantæ aliquali cuſtodia, & per ipſorum peripheriam nutritionis, & auctionis materia diſcurrit; Hinc tempore brumali à frigore conſtrictis poris per deficientiam alimoniæ fibræ illæ, quæ oſcula jungunt, exiccantur, & folia ſine ſpe ulterioris vitæ cadunt in terram, illa præſertim, quæ viſcida, & cruda ma-

teria

teria ſicuti folia buxi, ilicis, lauri &c. non gaudent pro protrahenda vita uſque ad ver floridam revireſcentis anni juventutem.

Flores inde ſunt laſcivientis naturę partus, pratorum riſus, & delicię, odorum prætioſæ capſulę, & odoratus ſolatia, ex quibus non ſolum planta exornata ſuperbit; ſed tellus Cęli æmulatrix pulchritudinis palmam cum aſtris contendere videtur. Diverſa vero, & ſpecioſa florum conformatio petenda venit ex vario fibrillarum minimarum ſitu, numero, egreſſu, & deſinentia, in quibus diverſimodè fit puriſſimi ſucci filtratio, & compoſitio; quippè flores ſuas fibras habent, quæ vel foliolum ſuo plexu contexunt, vel caputium turbinant, vel hemisferium tornant, propter oſculorum mutualitatem, vel longius exporrectæ denticulos acuunt, vel capillitium, ſeu ſtamina producunt, vel floccos aſpergunt.

Florum tandem varietatem in coloribus ſi ex noſtris principiis exoptet Lector, ipſum aliquantiſper perpendere rogo varias enunciatas percolationes, modificationes, diviſiones, coaleſcentias, & lævigationes ipſius materiæ alimentorum in variis fibrarum plexibus, ac indè facilè illi erit, ex hiſce variorum colorum originem repetere: Eo quia materia alimentitia in quibuſdam lacteſcit per ſpumam, hoc eſt per congeſtas ſpherulas: In aliis verò rubeſcit per ſpherularum ſegméta, & denique, ut multa paucis dicam, omnes varii colores ex diverſa mixtione, & filtratione partium, in quibus neceſſe eſt, fieri diverſam lucis reflexionem, & refractionem, reſultant, ut evidenter apparet in diverſis opaci, & diafani gradibus, è quibus varii procedunt colores. Quæ explicatio ſi Lectori non arrideat, iterum perpendere, etiam, àtque etiam, ro-

rogo, quod de liliis agri conditor omnium Deus gloriatur, *quod Ipſe illa veſtierit*.

Fructus denique quatenus ſemen complectuntur, ſunt revera ultimum, & nobilius plantæ opus, novellæ veluti plantæ in plantis naſcentes cum umbilicali nodo pro generationis ſucceſſiva prole, quorum variæ formationes, ſapores, & colores modo albi, modo rubri, modo virides pendent ex diverſa permeatione, & qualitate ſucci nutritii plantis familiaris juxta varia fibrarum involucra percolati, ſic uva, baccæ, ceraſa in perfectam ſpheram rediguntur, quia fibræ ſucco prægnantes mutuis oſculis conjunctæ in orbem æquali niſu turgeſcunt, unde ſpheram ſequi neceſſe eſt, ſic pira in conum quaſi imperfectum abeunt; quia fibræ verſus pediculum preſſiores non adeò laxantur, nec laxari poſſunt, ergo nec ſucco turgeſcere uberiori valent; ſed tantum verſus oppoſitam extremitatem; Hac itaque paræmia de aliis Lector diſſerere, & conjecturari poterit, ut animus veritatis, & curioſitatis amator in phenomenum naturalium explicatione aliquatenus acquieſcat, ac ipſe in hac conſideratione eum relinquens, pro majori intelligentia denuò ad ſemina, unde digreſſus ſum, revertor.

Semina ergo fiunt à plantis per earundem fibrarum deſinentiam internam, & externam, in interna fibrarum plicatura percolantur ſucci, quaſi tinctura eſſentialis totius plantæ, delineando ſitus, figuras, magnitudines, colores, & ſapores juxta diverſum fibrarum plexum, percolationem, ac modificationem, eo quia ex hujus diverſa filtratione, & varia ſuccorum ſeparatione in dictis fibrarum plexibus corpuſcula illa elementaria variè modificantur, diſponuntur, figurantur, coeunt, acuun-

acuuntur, criſpantur, & inde pendent varia herbarum figura, odores, & ſapores diverſimodè ſenſationum organa afficientes, ut ſupra dictum eſt.

In externa verò deſinentia communia plantarum terminant tegumenta cum ſuis propriis canaliculis pro ſuccorum delatione: concreſcunt exinde tali modo ſemina, donec Telluri Matri conſignata involutæ elementares particulæ emollitæ, ac fibræ explicatæ totius plantæ involucrum expandunt, ramos, radiceſque explicant, ac per propria vaſcula benigna tellus tenellæ plantæ neceſſariam ſuppeditat nutritionem, ac pedetentim ulterius laxatis radicis meatulis ſuccus frugalior excurrit, planta magis augetur, ingrandeſcit, ſuiſque ſtatutis temporibus floret, fructificat, ſemificat, quæ explicatio licet nova mihi videatur; quia non dum ab aliis percepi, debitè tamen glorietur, ſi quis antea dixerit ſimilem.

Verumtamen quamvis explicatio de plantarum generatione nec dari forſan, nec excogitari poſſit facilior, & acutior, ut mea fert opinio, nihilominus ſi non adeſſet principium illud Divinum, nempe Deus ita volens, dirigens, ac promovens; Unde ſciret, unde poſſet planta producere ſemen, prorumpere in plantam adeo artificioſam, ſervare admirabilem ordinem, ſitum, figuram, & magnitudinem, ſingulis annis amiſſa folia, & flores inſtaurare, novos ſurculos, ramos, radiceſque protrudere?

Si actu ſemen non vivit, & cognitione caret, cur inquam ſine tranſgreſſione florent hyeme helleborus niger, Martio Violæ, Vere Narciſi, Majo rubeſcit Roſa, Junio Sambucus albicat, viretque Julio Vitis, & alia aliis temporibus habent fata maturitatis tempora? niſi quia talibus ſubegit obe-

dientiæ

dientiæ legibus, Qui ea primo creavit?

Quam veritatem inter Philoſophos nemo præter Divinum Hipocratem mihi tam benè agnoviſſe videtur, hic enim doctiſſimus vir ad hæc reſpiciens lib. 1. de Dieta dicebat: *Et quæ quidem faciunt, non ſciunt, quæ vero faciunt, ſcire videntur, & quæ quidem vident, non cognoſcunt, & tamen hæc omnia neceſſitate Divina contingunt.* Neſcit quippe terra ſe producere plantam, neſcit planta, ſe producere ſemen, neſcit ſemen, ſe producere plantam, eo quia non terra, non planta, non ſemen immediate à ſe hæc agunt, ſed omnia hæc neceſſitate Divina contingunt: Propterea jure merito 2. de format. plant. exclamavit Scaliger *Deus Deus neque otioſus, neque negotioſus in opere, nec extra opus, ſed in omnibus principium, medium, & finis.* Cum edoctus eſſet à præcitato D. Thoma, quod, *Cum corpora naturalia careant cognitione, ergo debent ab aliquo dirigi, Qui habeat cognitionem, ſicut dirigitur ſagitta à ſagittante, & per conſequens eſt aliquid intelligens, à quo res omnes naturales ordinantur ad finem, & hic eſt Deus.* Quæ verba, ò utinam, ſi in omnium Philoſophorum mentibus penetrarent, nam ita Atheiſmus deficeret, & debita laus, & gloria excelſo Deo conditori daretur.

§. VII.
De Generatione Animalium.

Efficacia Divini præcepti: *Creſcite, & multiplicamini, & replete terram.* Parili modo eluceſcit in continuata propagatione Animalium, ſicuti elucеſcere probavimus in generatione plantarum per antedictas rationes hic benigniter reaſſumendas, & applicandas. Cœterum de hac generatione par-

particulariter agere, non eſt ſcopus noſtræ intentionis, quæ tendit principaliter ad glorificandam, ac oſtendendam Omnipotentiam Divinam in Orbe imperantem, & ad refellendos errores in phiſica irreptos, & curioſus poterit conſulere præcipuè Ariſtotelem, Aldrovandum, Aquapendentem, & Harvejum, in quibus, quæ ſuam explebunt cupiditatem, inveniet.

Admoneo ſolummodo obiter Lectorem, temerariam haberi Fortunii Liceti opinionem lib. de ſpont. viv. ortu cap. 51. ubi contra communem ſenſum Sacræ Bibliæ aſſerit, Serpentes igneos Populo Iſdraelitico à Deo miraculosè immiſſos, revera exortos fuiſſe ex corporibus Hæbreorum viventium cum tanta malignitate, ut eroderent eorum membra, acerrimos, ardentiſſimoſque dolores incutientes, & inflammationem accendentes, à quo ſimptomate ignei, ſeu igniti dicti fuerint, nam ex Biblia cap. 21. colligitur apertiſſimè, à Deo miraculosè immiſſos fuiſſe in pœnam eorum ſcelerum, nec natos ex eorum carnibus, & extra eos mordere, ac inſuper in augumentum miraculi Serpentum iſtorum ictus aſpectu ænei Serpentis curabantur, ideoque abſurdum eſt reducere miracula ad vias naturales, quando illa ſunt ſupra, & extra ordinem naturæ, quoniam dicit Dominus: *Viæ meæ non ſunt veſtræ*.

§. VIII.

De Generatione humana ſpecialiſſimo modo à Deo promota juxta authoritates repetitas Sacrorum Dogmatum contra tot Novatores inferius recenſendos, qui abſurdis opinionibus illam contaminarunt.

GAlenus cap. 6. lib. de fœtus formatione ingenuè fatebatur, ſe à ſui Sæculi Philoſophis di-

diſcere conatum fuiſſe, nec quo animus diſcendi cupidus ſatiaretur, apud eos inveniſſe, ac proinde triſtitia magna affectus conquerebatur, rogabatque omnes Philoſophos, ut ſi quid veri inveniſſent, id ſine invidia ſecum communicarent. Nos vero Sacrorum dogmatum teſtimonio præmoniti, imbecillitatis, & impotentias cauſarum ſecundarum refundimus in Omnipotentiam Dei Omnipotentis ipſas primo moventis, & dirigentis, & quæ nequivit Galenus tenebris gentilitiis involutus mente captare, nobis conſpicua fiunt per Sacras Paginas fideliſſimas veritatis Duces.

Itaque quoad humanam generationem immutabilem Deum ſequendo primum Creationis ordinem, in quo dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: affirmandum eſſe cenſeo cum Scoto, Averohe, & Suarez tam mirabilis humani opificii etiam nunc Authorem eſſe, ac Divinam virtutem ſpecialiori modo ad hanc formationem concurrere, ſicuti particulari modo ſe geſſit in prima hominis formatione, ut probare aſſumpſi in hujus ſcrutinii principio.

Propterea exclamabat Job. *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me totum in circuitu*, & David: *tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam*, quod quia admirandum planè eſt opus, addidit inſuper: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*, & clariori ſermone Iſaias cap. 64. verſ. 8. *Domine Pater noſter es tu, nos vero lutum, & fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum omnes nos!* Jeremias c. 1. verſ. 5. litteraliter. *Priuſquam te formarem in utero, novi te*: & apud Machabeos lib. 2. cap. 7. *Singulorum membra non ipſa Ego compegi, ſed Mundi Creator, qui formavit hominis Nativitatem*. Lucas 2. *Stulti, non ne qui fecit quod foris, etiam, quod deintus eſt, fecit.* Ita Dominus noſter

ſter Jeſus Chriſtus nos orare docuit per invocationem Dei Patris noſtri, qui eſt in Cœlis, ut cognoſcamus genitalem lutum, ac ſtamina vitalia à Parentibus nos habere, corporis vero formationem, ac animæ creationem à Deo Optimo Patre: Immo à Leone primo Pontif. Maxim. epiſt. 9. cap. 19. n. 9. ſcriptum relictum eſt: *Catholicam fidem, omnem hominem in corporis, animæque ſubſtantia à Conditore univerſitatis formari, atque animari intra materna viſcera, confiteri*, & num. 10. *Deum animarum Creatorem eſſe, & corporum*, nec non D. Auguſt. lib. 12. de Civit. Dei c. 25. *Deum Formatorem Corporum*, dixit, *eſſe*.

Ulterius in generatione humana ſpecialiſſime concurrere Sapientiam Divinam, probatur clariſſime cap. 4. Geneſis, ubi habetur, *Adam cognovit Evam Uxorem ſuam, quæ concepit, & peperit Cain, dicens poſſedi hominem per Deum*, ideſt, juxta Sacræ Scripturæ Interpretes, acquiſivi hominem, Deo operante; Sic etiam ex eadem Geneſi deducitur, quando ob præcepti traſgreſſionem irrogatur pœna noſtræ primæ Parenti Evæ; *Multiplicanbo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries Filios &c.* Quid enim importat *Multiplicabo conceptus tuos*, niſi cauſam Deum eſſe agentem in humana productione?

Quam veritatem intellexerunt ipſi Gentiles, qui humanæ fabricæ laudes Diis tribuebant, nimirum Alemonæ, & Oſtilagini, ut refert Arnobius lib. 4. Unde pudeat Chriſtianum Philoſophum, qui ad chimiericas cauſas recurrit, Prima Omnipotente neglecta, ac auribus percipiat Lactantium docentem 4. inſtit. cap. 26. *Generanti nos Deo juſta, & debita obſequia tribuamus*, propterea Catholicæ Mulieres apud Sacram Scripturam, ut notat Merſennus in Geneſi, Filios ſuos à Deo eſſe, confitentur, ad declarandum Deum magis ad humanam prolem,

lem quam aliarum rerum productionem concurrere. Gaudeat ergo hominis prærogativa, quæ in ſui formatione auxiliares manus Altiſſimi ſuper cœtera animantia per virtutem inditam Terræ, & Aquæ producta jactare poteſt, & gratias ſemper agat Conditori benigniſſimo.

Hinc ſapientiſſimè Merſennus com. in Geneſi art. 2. contra Atheiſtas obiicit in eorum confuſſionem fabricam humanam à Deo factam, ut Deum eſſe confiteantur, dicens. *Apage ſis Athee, qui contendis, nihil eſſe in rerum natura, quod probet Divini Numinis exiſtentiam, nolo tibi Cœlos, non meteora; non infinitam Elementorum varietatem, non miracula, non oracula, ſed te ipſum oblicere, aſpice non totum Corpus, ſed caput unicum, & pulcherrimam Divini Numinis effigiem oſtendo. Ingredere Athee hanc Sacram Palladis arcem, cerebrum nimirum domicilium ſenſuum, à quo Imperatoris ad inſtar erga Cives, & Subditos, omnia membra fibris, veluti funiculis trahuntur, ac moventur: Aſpice hujus Regiæ Domus Columnas, & Concamerata involucra, atria, thalamos, ſinus, ſpeculum lucidum, arteriolarum plexus, & miram nervorum propagationem, & exclamare ſane debes: Domine mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.*

Si vero tot Sacræ authoritates, tot Divina oracula haud te convincant, haud ſatisfaciant, cōtemplare ò Lector, quomodo quis in animum ſibi poſſit inducere, minimas quaſdam partes, ſive corpuſcula in ſemine humore prorſus homogeneo occultata, & ſubtili circumdata membrana, atque à calore Matris rarefacta, valere membrula figura, colore, conſiſtentia diverſa formare, illiſque tribuere debitum numerum, magnitudinem, & ſitum, legitimè conectere, & unire, ad uſus, ad actiones nobiliſſimas determinare, & ut paucis expleam,

cuncta per quam ſapientiſſimè diſponere, & ordinare, animæque immortalis domicilium tam nobile efficere, niſi recurrat ad fontem perennem omnium principiorum Deum Optimum Maximum, qui per imperium ſuæ voluntatis ubique diffuſum in Orbe ſolus mirabilia facit.

Hæc porrò veritas multis perſpecta eſt, ſed his Sapientiam Dei eſſe implicitam, & ſollicitam, aſſerere reformidant, ò inepta puſillanimitas! De quo dubitandum quidem eſſet, ſi his curis defatigaretur Deus, ſed ſi omnia fiunt, quia ipſe vult, quid ultra fas trepidant? ut luculentius demonſtravi in præcedenti Scrutinio. Ideo dicebat D. Auguſtinus *Si Deus in æterna Intelligentia ſpecies omnes contineat, & individua earundem, quomodo non cuncta conderet, an aliquorum Artifex eſſe nollet, quorum efficiendorum artem, & ſcientiam ineffabiliter laudabilis Mens ejus haberet?* Itaque quamvis ſemen continere poſſit ideatam Parentis Imaginem cum omnibus ad generationem requiſitis, tamen niſi perfectivè, ac immediatè concurrat efficaciſſima Dei potentia, nihil fit, cum mentecaptum ſemen, niſi dirigatur, ad hoc peragendum, impotens ſe habeat.

§. IX.

Refelluntur Sacrilegæ opiniones de humana generatione Paracelſi, Arnoldi de Villanova, Conradi Pieri, Joannis Suuammerdami, ac aliorum de Republica Recentiorum.

SI tu Domine (ut loquar cum Propheta Iſaia) cap. 64. *Pater noſter es tu, nos vero lutum, & Fictor noſter es tu, & opera manuum tuarum omnes nos*, erubeſcant ergo Paracelſus, & Arnoldus de Villanova peſſimi Nebulones, qui ex ſemine humano ex-

extra vas Mulieris in phialis, & cucurbitis poſito ſub fimo equino, & ſanguinis humani arcano prudenter enutrito, arte ſpargirica homunculum naſci, evomuere. Quod circulator ille Paracelſus lib. 1. de rerum natura vocat arcanum arcanorum, ſecretum ſecretorum (dic potius mendacium mendaciorum, deliramentum deliramentorum à Sacrilego viro de grege Epicuri eructatum;) Natoſque ita aſſerit Montanos, Satyros, Dæmunculos, & Nimphas, quos homines ita artefactos evadere miraculoſos, ac Inſtrumenta magnarum rerum, & noſcere ſecreta naturæ, & abſcondita rerum: Unde de hujuſmodi putredinis ſtirpe ipſum eſſe natum, exiſtimandum foret, dum ſe ſingularis doctrinæ virum, & neminem plura ſe ſciviſſe, gloriatur in ſuo Parmiro, niſi ab hujuſmodi blaſphemiis, ne dicam Deus, & natura, ſed ratio ipſa humana abhorreret.

Quis enim Medicorum, Anathomicorumque neſcit extra vas muliebre hominem generari tam impoſſibile eſſe, quam impoſſibile eſt, ſemen Bruti Terræ injectum in ſimilem Bruti ſpeciem erumpere? unde illi naturale nutrimentum per venas, & vaſa umbilicalia, unde præſtò calor nativus, & ſpiritus? Quæ rogo ars poterit ſupplere vicem uteri, & Matris munium? Quis animam rationalem infundet? fortaſſe Deus, qui tantopere abhorret ab his ſatanicis, & impietatis inventis? Deteſtabiles ergo ſint horum Authorum fabellæ, dum ex ſupra allegatis Sapientiſſimus Deus non dedignatur eſſe Architectum humanæ fabricæ, ac ejuſdem Formatorem.

Ita pariter eſt contra Sacram Geneſim, & Sacra Dogmata aſſertio Conradi Pieri meryolog. lib. 1. cap. 5. ubi ſentit *omnia quæcunque fuerunt, & futura*

ſunt animalia, in ovulis fuiſſe creata, & prima Parens Heva concreata ſibi habuiſſe, credit, ſemina omnium, ſeù conceptus, ſeu Ideas hominum, quos paritura erat, veluti granum frumenti innumeros continet farinæ Atomos. Motus nimirū ex rationibus, quod animalium conformatio Divini ſit opus artificii, & inſania ſit animantibus vim proprios fingendi, & procreandi fœtus tribuere, ac furor id Atomorum, ſive particularum qualiumcunque fortuito largiri concretui, & impietas Creaturarum originem à Deo non repetere, & neſcio quam facultatem, ſpiritumque formatorem ſuſpicere, & venerari.

Concedimus, ò Conrade, non eſſe tribuendum generationis honorem Atomis, particulis, facultati, ſpiritibus, ſed in ventre Hevæ Deum ovula, & ideas omnium viventium concreaſſe, hoc arbitror non ſolum oppoſitum Sacris Doctrinis, ſed contrariare cordatorum Philoſophorum placitis, & nullis propemodum fulciri rationibus. Non enim vidit, ò Conrade, S. Joannes turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus in Ovario Heuæ, ſed ante thronum Dei, qui, ut ait S. Auguſtinus, *in æterna Intelligentia Species omnes, & individua earundem continet.*

Deinde ſi per Moyſem dixit Deus: *creſcite, & multiplicamini*, ſequitur omnia animantia non fuiſſe in ovulis creata, nam ſi eſſent creata, non indigerent multiplicatione, ut Dei præceptum in executionem demandarent, poſtea ſi Deus poſt tranſgreſſionem dixit Hevæ: *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*, ad quid multiplicare conceptus prommittit, ſi in ejus Ovario jam delineati fuere omnes futuri conceptus?

Evertit ulterius hanc ridiculam ſententiam illa Sacræ Paginæ doctrina, in qua habetur, quod Deus ape-

aperuit Uterum Saræ, nimirum fœcundum fecit, ergo ſequitur, quod prima noſtra Parens non illi diſtribuerit ovula : Rem clariorem efficit Geneſis cap. 4. in qua dicitur, *poſtquam Cain occidit Abel, dixit Adam, poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain, & cognovit Uxorem ſuam, & peperit Filium*. In quo duo antemuralia, ò Conrade, ponuntur contra te, primo quod ſemen activum pro conficienda generatione virile reputatur, & non prætenſum ovulum muliebre, ſecundo ſi in Utero primæ Mulieris fuerunt omnium viventium ova poſita, non opus erat, quod Adam propalaret, quod prò Abel poſuerit Deus aliud ſemē, dum ſufficientia erant ſemina omnium viventium in Utero Hevæ concreata. Non enim naſcimur ex ovo muliebri Gallinarum ad inſtar, ut inferius diffuſiùs dicemus, habet porrò fœmina ſemen, ut ex Geneſi cap. 3. verſ. 15. & Levit. cap. 12. verſ. 2. quod cum ſemine virili unitum, operante Deo, generationem facit in Utero.

Ratio quoque præter authoritates ſtat pro noſtra parte, nam ſi fingeremus quodcunque ovuli prætenſi rudimentum quaſi inſenſibilem Atomum corpoream tamen, ſi animalium membra compendiata contineat, & principia diſtincta, ut non controvertis, obtineat, tam tenvia eſſe non poſſunt, quin innumera hominum natorum, & oriendorum multitudo, contineri potuiſſet in Hevæ ovario, ſi Ovarium amplum non eſſet Magni Pantei adinſtar, vel fornicem æquaret Templi Divi Petri, quia multa pauca ſimul unita faciunt unum ſatis, & ſi teſtis Mulieris continens v. g. quindecim ſubtiliſſima ovula eſt grandis veluti ovuli pipionis, continens triginta erit duplo major; & ita augebitur juxta ovulorum numerum, adeo ut ſi numera-

re fas eſſet infinitam viventium, mortuorum, & venturorum ad vitam (data proportione) multitudinem, Ovarium noſtræ primæ Parentis Orbis ad inſtar fuiſſet, cujus cortex Cœlum, Terrã vitellum, & flumina albumen.

Non videtur abſimilis hæc Conradi opinio fabellæ illi, quam refert Joannes Matthæus Faber in vindiciis Aſtrologiæ, quod nimirum Cinenſium Bonfores, ſeu mixtæ colant in Monte celſiſſimo Inſulæ Muco Idolum Dei Supremi, cum aliis quindecim minoribus, quibus comiſiſſe credunt; ut ovum conficerent ingens, eique elementa includerẽt omnium rerum, ex quo poſtmodum præpotentibus cornibus Bovis confracto totius Mundi apparatum (ſolo homine excepto) prodiiſſe tradunt, ita porrò debuiſſet eſſe ovarium noſtræ Parentis Hevę. Vide, itaque, ride, & exſecrare impiam iſtius Magiſtelli dicendi audaciam.

Nec tandem credibile eſt, ò Conrade, Hevam primordialiter ſuccedentibus mulieribus ovula à Deo in ipſa concreata diſtribuiſſe, quia non omnes fœminæ ex Utero Hevæ immediate prodiere, ſed ex conceſſis; quod cunctis deſcendentibus potuerit diſtribuere ovula, cur ergo aliquando conjugatæ non concipiunt, vel niſi multis infœcunditatis tranſactis annis, ſi ovula in promptu ſunt? cur fruſtra in tot Veſtalibus, & caſtitatis Cuſtodibus ovula ſunt data ad putreſcendum? ſi aſſioma veriſſimum eſt, quod Deus, & natura nihil agunt fruſtra? vel quare, ſi ab ovario gallinæ deſcendunt ova, ita pariter non promunt ex ovario muliebri?

In idem Cacohetes Joannes incidit Suammerdamus pediſſequus D. Joannis Van Horne relatus à Mangeto tom. 1. bibliot. anatom. parte 1. de infimo Ventre, dicens: *Quidquid eſt hominum in lumbis Adami,*

mi, & Hevæ occluſum fuit, quibus ceu neceſſarium conſequens adjungi poſſet, exhauſtis his ovis humani generis finem adeſſe, & paulo ante monuit: *Nullus mihi in rerum natura generationi, ſed ſoli propagationi, vel incremento partium locus eſſe videtur, ubi caſus omnis excluditur*.

Sed reſpondetur, quidquid eſt hominum in lumbis Adami, & Hevæ occluſum fuit, nego antecedens, & ovis exhauſtis humani generis finem adeſſe, nego conſequentiam, & aſſigno rationem, quia primo impoſſibile eſt in lumbis Adami, & Hevæ contineri potuiſſe quaſi infinitam hominum multitudinem natorum, & mortuorum, viventium, & futurorum, etiamſi eorum propagines, ſive ovula conſiderarentur in eorum lumbis ſubtiliſſimæ cuſpidis acus ad inſtar, quæ ſimul unita reſpectu natorum, & venturorum ad lucem innumerabilitatem Romanum teſtaceum Montem efficerent. Secundo quia ſi quidquid eſt hominum occluſum fuiſſet in lumbis Adami, & Hevæ, ipſis extinctis, terminata fuiſſet generatio, cum nequeat excogitari rationabilis modus, quo fuerint traducta ovula numerice in omnes Gentes, quæ non profluxerunt immediate à primis Protoplaſtis, in quibus omnia ovula fuerunt materialiter concreata.

Sed, ò bone Deus quantas ineptias effutiunt hodierni Novatores, hic omnes Adami Succeſſores in lumbis, ſeu teſtibus, & ovariis incluſos fuiſſe ſentit; viceverſa Paracelſus lib. 1. Philoſophiæ ſagacis cap. 2. Statuit, homines in novis Inſulis non eſſe procreatos ex Adamo noſtro primo Parente, ſed ab alio quodam Adamo progenitos eſſe, immo eodem loco blaſphemat, dicendo Adamum, & Hevam ante lapſum non habuiſſe teſtes, renes, & Uterum, & omninò membris genitalibus carviſſe,

& conceptionem humanam, quæ poſt lapſum ſit, monſtruoſam appellat: ſequere, ſi potes, ò Lector, has Novatorum nugas ſacrilegas, abſurdas, & inſanas, contradictionibus, & blaſphemiis plenas.

Quis tandem tibi revelavit, *exhauſtis his ovis, humani generis finem adeſſe*, dum hoc pendet ab imperſcrutabili voluntate Divina, & non dum ulli Sanctorum revelatum fuit; quinimmo humani generis, & Mundi finem denuncians, alia ſigna nobis propoſuit in Evangelio. Numquid Propheta es tu, aut Dei conſiliarius? qui audes talia pronunciare, quæ non licet homini loqui?

Non minoris proterviæ, & audaciæ eſt alia aſſertio, quod nullus in natura ſit generationi, ſed ſoli propagationi, & incremento partium in ovulis latentium locus, nam primo hæc repugnat communi omnium voto tam Sanctorum, quam Philoſophorum admittentium generationem, & conceptionem viventium ex ſemine virili, & muliebri compactam, dieſque configurationis ipſius aſſignantium. Quod concludenter autenticatum habe Sacræ Paginæ authoritate primo Regum cap. 1. Ubi habetur, Annam ab Elcana Viro ſuo cognitam, poſt aliquot dies concepiſſe, verba ſunt: *Cognovit autem Elcana Uxorem ſuam, & recordatus eſt ejus Dominus, & factum eſt, poſt circulum dierum concepit Anna, & peperit Filium*. Ubi adverte, quod hominis formatio eſt temporanea, & per conſequens eſt locus generationi, dum dicitur, *poſt circulum dierum concepit Anna*, & ad majorem lucem pergit, *recordatus eſt Dominus, & factum eſt*, quæ verba important novam generationem independenter ab ovulis incluſis in lumbis Adami, & Hevæ, ſi vero formidas Suammerdame, generationem ex caſu, contemplare illa verba, *recordatus eſt Dominus*, ac

ita

ita omnem caſum excludes. Autenticat aſſumptum Salomon lib. Sap. cap. 8. ubi ait: *ſum quidem ego mortalis homo &c. & in Ventre Matris figuratus ſum caro, novem Menſium tempore coagulatus ſum in ſanguine ex ſemine hominis*, quæ infallibilia oracula tam clara ſunt, ut nulla indigeant explicatione.

Si autem hæc Sacra non ſpernenda male audis, præſto tibi ſit experientia obſervata in abortibus, qui ab Utero ante quatraginta dies elapſi, ſunt inarticulati, & ferè nullam configurationem præſeferunt, ſed veluti rudes, & informes materiæ effunduntur, quos ſua emphaſi explicans Hipocrates non abortus, ſed effluxus vocat lib. de ſeptimeſtri partu, & lib. de natura Pueri experimento confirmat, inquiens: *Multæ autem Mulieres puerum maſculum jam perdiderunt paulò ante trigeſimum diem, & inarticulatus apparuit*. Propterea in argumentum hujus veritatis S. Romana Eccleſia Spiritus Sancti Miniſtra nos docet poſt quatraginta, & ſexaginta dies, organizato jam corpore, Deum animas hominum infundere, tanquam organici Corporis actus. Quę mihi videntur eſſe efficaciſſima argumenta comprobantia dari generationem in natura, illamque non eſſe partium in ovo incluſarum propagationẽ, & incrementum, ut male auditSuammerdamus, cum Recentioribus; ſed veram generationem de non eſſe ad eſſe.

Ad rem noſtram magis dilucidandam huc pertinere videtur illud Moyſis c. 21. *Si autem pugnaverint duo viri, & percuſſerint Mulierem inVentre habentem, & egreſſus fuerit infans ejus non figuratus, damno damnatus erit, ſecundum quod impoſuerit Vir Mulieris, ſi autem figuratus fuerit, dabit animam pro anima*. Quod autem iſta configuratio ſtatuto ſuperius tempore contingat ex lege veteris Teſtamenti colligitur, qua Mulie-

res, quę maſculum edidiſſent quatraginta, quæ fęminam octaginta à Templo arcebantur ad imitationem dierum, quibus effingebantur in Utero, quod totum litteraliter probat generationem non eſſe ex authomatis, ſed ex ſeminum commixtione, actione, & configuratione in fibrarum ex Utero progerminatione; ut clariori ſermone in ſequentibus enucleabo.

§. X.

Reffelluntur aliæ modernæ opiniones erroneæ de motu circa generationem.

PHiloſophi, & Medici noſtri temporis mechaniſmo addicti per mechanicas leges motus, & figuræ res naturales mechanica, & non Divina neceſſitate contingere, nituntur explicare, ſed inſania eſt helleboro nigro repurganda, mentecapto, & intelligentia ſine motui opus generationis ſcientificum, & admirabile committere. Non enim, ò Carteſiani Philoſophi, ſi millenis authoritatibus Sacris adductis fidem præſtatis, per evolutionem particularum in ſuas figuras humani prodeunt fœtus, nam hoc modo ens homo eſſet per accidens, ejuſque conformatio prima fortuita, quippe figuræ rerum ex accidenti proveniunt, varianturque ex omni partium poſitione, quando Divina hominis conformatio ſemper eadem, eodemque modo ſemper evenit, nec habent particulæ manus, & ſcientiam ad ſe evoluendum juxta exigentiam, nec in ulla Schola fuerunt edoctæ circa geometricas menſuras, quantitatem, ſitum, & numerum, nec tandem ſciunt in ſummitate corporis caput collocare, oculis, & auribus tanquam excubiis præmunire, cœteraſque partes indicibili artificio compoſitas in ſuo debito ſitu adaptare.

Cre-

Crederem utique Carteſianis Philoſophis præcitatam eorum opinionem, ſi ſatis ipſi, qui ratione ſunt præditi, eſſent, magno eorum ingenii acumine minimam quamcunque corporis partem, veluti intus eſt, efformare, immo ipſius fœtus excrementum; ſed ſi coguntur fateri, ſe ignorare vile fœtus excrementum componere, quomodo igitur mentecaptæ particulæ per ſuum motum ſcire poterunt; ſe evoluere in ſuas figuras, inteſtina, & veſicas excavare; venas, & arterias compingere, limiteſque præſcribere, piramidalem cordis figuram fibris itexere, ac in pericardio locare, pulmonum fiſtulas tot glandulis, & veſiculis ſculpere, & uno verbo ſtupendam corporis fabricam componere, cujus cunctarum partium conſenſus unus, totius conſpiratio; & confluxio una?

Corpus itaque humanum Divinæ Imaginis domicilium, in quo ſcintillant immenſi amoris radii, in quo cuncta, quæ in ſe Orbis amplectitur, & ſunt, & videntur, pro quo univerſa condidit ſumma bonitas Dei, cuique omnia ſubjecta famulantur, non eſt caſuale opus, & particularum motarum incidentia. Contemplamini ſedulò hanc admirabilem fabricam, & inquirite, quis oculorum Pictor extiterit? quis nares, & aures quaſi tornatiles fabrefecerit? quis labia rubentibus roſis conveſtierit? quis nervos tetenderit, ac ligaverit? quis oſſa compegerit, ac ſolidaverit? quis carnem tenui pellicula circumtexerit? quis piramidalem impreſſerit cordi figuram, pulmonum fiſtulas ſculpſerit? Quis Jecoris porro ſtamina, & muſculorum fibras operuerit? Quis alvo capacem amplitudinem tradiderit? Quis decora, honeſtaque corporis membra humanis oculis objecerit, obſcena in obſcuro prorſus abdiderit, ac cernentibus eripere, & ſubſtrahere voluerit? ac alias

alias tandem corporis admirandas partes, viſcera, & organa, & omnia hæc licet mutula dicent vobis, non eſſe facta ſine ſuperno Artifice?

Ac in hujus veritatis argumentum convincat vos Magnus ille Galenus, qui licet paganiſmo infectus, & veri Numinis cognitione orbatus, hæc aurea verba protulit libr. 17. de uſu partium cap. 1. *Si quis conſpicatus cujuſvis animalis conſtructionem, omnia enim Opificis declarant ſapientiam, mentis, quæ Cælo ineſt, excellentiam intelliget, tum opus de uſu partium perfectiſſima theologiæ principium conſtituet.*

Pariformiter deteſtamur aliam ſententiam ex principiis Carteſianis deſumptam, de qua fit mentio in Zodiaco gallico obſerv.1. Aprilis, & magnificè incedit per ora Recentiorum, quod nimirum, cum materia ſubtilis ſeminis aſſueta ſit, ſervare motum, quem obtinebat in corpore, à quo ſemen prodiit, eundem ipſum ſervet in ſemine, ut in illo formet particulas ſimiles illis, quibus præditum erat corpus, adeo ut ſi motus fuerit directus, ſimili modo producat vaſa recta, ſin obliquus oriantur partes obliquæ, adeoque materia illa ſubtilis obſervando motus, quibus aſſueta eſt, characterem, & figuram craſſiori materiæ imprimat, cum motus juxta mechanices leges eundem perpetuo obſervet ordinem, eundemque tenorem, quem primò recepit per ſuas directiones, & per conſequens motus ſpirituum habitualis ſemen effingit eadem diſpoſitione præditum, quæ in Parentum corpore reperitur.

Verumtamen pulchra ſunt hæc Recentiorum philoſemata, ſed ſtabili non nituntur veritate, quia primam, & potentem Cauſam non recognoſcunt. Et quidem quis adeo mentis inops non percipit, ſpiritus illos, ſeu ſubtiles ſeminis particulas eundem modum ſervare, impoſſibile eſſe in longo pri-

morum

morum ſtaminum itinere, & obliquitate canalium, per quos deferuntur, ac imperceptibile eſſe, quod per tot gyros delati, variis corporis motibus internis, & externis exagitati retinere poſſint eoſdem motus, ſivè eaſdem idearum impreſſiones, quas in corpore receperunt?

Præterquamquod conſiſtere nequeunt varii illi motus ſubtilis ſeminis pro variarum partium formatione, quia unus aliū deſtrueret motum, & alter alteri contrarius eſſet, hinc cōfuſio, & perturbatio, ac minime armonica corporis emergeret ſtructura; varii quippè motus in eadem temporis menſura non ſolum dari, quin nec excogitari poſſunt, ut accideret in propoſita theſi, in qua eodem temporis ſpatio ſpermificantur partes rectæ, & obliquæ, dexteræ, & ſiniſtræ, & ſupernæ & infernæ juxta Oraculum Hipocratis primo de Dieta. *Diſcernuntur, & augentur omnia membra ſimul non alterum altero prius, nec poſterius, quæ tamen natura ſunt majora, minoribus priora conſpiciuntur, licet non prius genita ſint.* Omnes ergo partes ſimul delineantur, quamvis ſuo ordine impleantur, extendantur, perficiantur, & ita ſpiritus variis motibus imbuti, quo tempore rectum motum abſolverent, obliquus deſinere oporteret.

Ulterius abſurdum ſequeretur, quod ſi hæc materia ſpermatica ſubtilis, & elaſtica ſpirituoſa recordaretur omnium motuum, quos in longo corporis itinere percepit, deberet habere memoriam, per quam reminiſcatur illius motus, quem obtinebat in corpore paterno, & magno pollere deberet ingenio, cujus ope eundem obſervet excurſum, & itinerarium, quo utebatur in corpore Parentis. Sed ad complementum operis ſpiritus iſti non ſolum ingenium, & memoriam, ut motuum, quos peregerunt,

gerunt, recordentur, ſed inſuper intelligentiam, & ſapientiam poſſidere deberent, ut materiam ſeminis craſſam determinent juxta debitam menſuram, longitudinem, latitudinem, ſitum, numerum, & proportionem; aliàs ſi his potentiis deſtituti ponantur ad fabricam animalis, erunt cementa, calx, & lapides ſine Fabrimurario, ſine Architecto, qui illis, veluti inſtrumentis utatur in dicta animalis fabrica.

Ridiculum eſt igitur, ne dicam impoſſibile motum rationis expertem inchoatum in corpore ſervare poſſe exactam, & ſimultaneam diverſorum motuum regulam in ſejuncto ſemine, & ſub hac ratione corpus humanum infinitæ perfectionis perficere. Sunt ergo latratu s delirantium Philoſophorum, qui derelinquunt Deum ſuum Conditorem, ejuſque ſpecialem concurſum in humana generatione ſecludunt, rationes ſibi fingentes, prout variis ideis fantaſia commota illis repræſentat.

Sunt, itaque hæc deliria, & nugæ contra ſacram Scripturam, nullaque fulciuntur probabilitate, ſi enim (ut mechanicè cũ mechanicis loquar) ad pingendam tabellam, requiruntur colorum trituratio, eorumdem commiſtio, & inductio, Pictor, qui tanquam cauſa efficiens colores diſpenſet, Pictoris ingenium, & magiſterium, quo debito ordine, & varietate colorum picturam compleat, quomodo materia inſipiens ſeminis, etiamſi concederetur cum determinatione motus, carens ingenio, & ſcientia, ſine intrinſeco Pictore, ſine ſummo Artifice hominis admirabile opificium conſtruet, cujus minima pars intrinſeca ſuperat in perfectione quamcunque inſignem picturam? Et ſicuti inſaniret, qui picturam factam eſſe, diceret à penicillo, & coloribus varie mixtis, & non à Pictore pollente ingenio, qui penecillo, & coloribus veluti inſtrumentis

tis

tis utitur, ita à pari delirat, qui ſubtiliori ſeminis parti in craſſam agenti, generationis gloriã tribuit.

Poterit commota ſeminis materia tumultuariè agitari, hinc inde per ſpiritus aliquantiſper moveri expers judicii, & artificii, ſed ſpecificam partium extenſionem efficere, ac juxta neceſſarium ordinem pro formatione animalium partes concinnè diſponere, augere, ac explicare, hoc ipſum illi conceſſum nondum à ſapientibus audivimus. Undè jure merito in præcitata gallica obſervatione in forma dialogi Periander exclamat: *An forte occurrit quæpiam alia machina organis melius inſtructa, meliuſque compoſita ipſo homine? Neutiquam, abnega ergo, quæ à te dicta ſunt, & concede accuratiùs perpendendo, mirabilem humani corporis ſymetriam, admirabile id eſſe Dei opificium*, ne aliter aſſerendo, atheiſticæ faveas philoſophiæ.

§. X I.

Demonſtratur breviter impotentia Animæ, Spiritus Mundi, Spiritus Vitalis, ſeù plaſtici, Janitoris Uteri, aliarumque Cauſarum, quas ad promovendam generationem ſtatuunt Recentiores, & ultimò duo dubia phiſicotheologica in hac materia difficillima diſſolvuntur.

NOſtri cari Recentiores neſcio qua entuſiaſtica doctrina parabolicas nobis proponunt locutiones de Gas, & Blas, de microcoſmetorem, de ſulphure, ſale, & mercurio, quæ nil aliud redolent, quam affectatam verborum peregrinationem palmaribus mendaciis plenam, & nullum afferunt augumentum neceſſarium in phiſica medica. Ita Dolæus encycloped. medic. in præfatione ad Lectorem,

rem, ut cum aliis Recentioribus inſaniret, inquit. *Formavit Deus hominem de limo terræ per evolutionem ideæ humanæ, quæ in chaos continebatur, neque enim ſua forma fuit deſtitutus limus, & inſpiravit in eo ſpiraculum vitarum, hoc eſt utramque vitam adeſſe juſſit Microcoſmetorem, ſcilicet animam ſenſitivam, & rationalem.* Error eſt, ò Dolæe, contra ſacram Geneſim, in qua habetur, faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, ubi adverte, quod dicitur, *faciamus*, ad oſtendendum concurſum Sanctiſſimæ Trinitatis, ut volunt ſacri Interpretes, *ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, & non per evolutionem ideæ humanæ, quæ continebatur in Chaos; nam impium eſſet, aſſerere Omnipotentem Deum, ad cujus nutum omnia fiunt, voluiſſe formare hominem per evolutionem ejus Ideæ in Chaos latentis, & non in ejus altiſſima mente: Deus enim ut docet ſupracitatus Auguſtinus in §.4. *In æterna intelligentia continet omnes ſpecies, & individua earundem*, & per conſequens humana idea non continebatur in Chaos.

Nec ulterius Janitor Vteri, ò Dolæe, poterit eſſe capax, aliquid contribuendi in generatione, quia hic Dominus Janitor eſt germanus frater Hipocentauri, nullam habens exiſtentiam, virtutem, & facultatem, ac dici debet Janitor ſine clavibus, ideſt ſine poteſtate præſignata in clavibus.

Nec ut ait Helmontius, *Spiritus vitalis in carne, & ſanguine vice fungitur in exteriore homine, ac is eſt, qui in ſemine totam hominis figuram, ſuperbam illam conſtructionem, fineſque rerum agendarum novit, quia continet*, quia reſpondetur à D. Thoma 1.2.q.1.art.2. *quæ ratione carent, in finem ab alio ordinantur*. Si igitur hic vitalis ſpiritus ratione caret, debet porrò ab alia cauſa intelligente dirigi, ideoque ſubjungit

in

in ſupracitato loco, *quod Deus dicitur Divinus ordo omnium rerum, quo ſenſibilia quæque moventur, oriuntur, & occidunt.*

Nec ſpiritus Mundi, ut ait Petrus Joannes Fabrus relatus in Scrutinio V. corpus humanum ſibi figulat, quia ſatis ſuperque ejuſdem inexiſtentiam, ac impotentiam in dicto Scrutinio patefeci, ad quod Lectorem remitto, nec ullam habet partem in humana generatione, in qua Divinum ſupereminet Magiſterium, quod confirmatum habe in ſacris paginis Eſdras lib. 2. cap. 8. verſ. 8. *Poſtquam corpus formatum eſt in utero, & poſtquam membra ei largitus es Domine, Creatura tua conſervatur igne, & aqua*, cui veridicus inhærens Hipocrates ſtatuit pro principiis corporis humani ignem, & aquam humido nempe, & calido nativo, dicens: *ignis omnia per omnia movet, & aqua nutrit omnia per omnia.* Ex qua igitur ſacra authoritate colligitur Divinam intelligentiam ſpecialiter humanam dirigere generationem, in qua nihil agere debet recenſitus ſpiritus Mundi.

Nec tandem egregium generationis opus patratur ab anima ſive ſit vegetativa, ſivo rationalis, quia reſpectu animæ vegetativæ ſufficiat nobis adducere authoritatem Galeni lib. de fœtus format cap. ultimo, in quo ait: *Cum ſummam in ejus fabrica, & ſapientiam, & potentiam videam, non poſſum exiſtimare eam, quæ in ſemine eſt animam vegetalem, fœtum ipſum formare, cum non modo ſapiens non ſit, ſed omni prorſus ratione carere videatur;* Quæ verba magis clara, & rationabilia eſſe nequeunt, & nullam requirunt explicationem.

Reſpectu vero animæ rationalis, quam traducem ex ſemine ſui domicilii Architectam ſtatuit Sennertus, nulla alia indigeret confutatione, quam

illi opponere, quod noſtra Sancta Fides docet, animas rationales à Deo infundi organizato jam corpore, ac ideo eſſe non poſſe cauſam corporis formationis, ſed quia in confutandis erroribus ſemper fui ſollicitus præter authoritates incontraſtabiles, ratiocinium ſubnectere, propterea dico, quod ſicut anima rationalis corpus informans organicum, ſenſibus tanquam excubiis prædita ſatis non eſt hoc peragere, quomodo ſatis erit, quando ſenſibus, & organicis inſtrumentis eſt deſtituta, ſine quibus operari non poteſt? Ita concludendum eſt, magnum, & ſtupendum corporis noſtri opificium, ſicuti in prima formatione hoc privilegium obtinuit in campo Damaſceno, immediatam ſortiri formationem à ſummo Deo Protoplaſte, ſic inviolabili ſtatuto ordine in tali poſſeſſione manutenetur in generatione per ſpecialem Dei concurſum dirigentis omnes cauſas, & inſtrumenta generationis.

Demum pro complemento hujus paragraphi remanet diſſolvere dubia, phiſiocotheologica, quæ sũt: Primo Deus habetur in Geneſi, requievit die ſeptimo à cõdendis novis operibus, & generibus Creaturarũ, & per conſequens vera erit Tertulliani opinio, quod opus generationis fuerit Intelligentiis Dei Miniſtris commiſſum.

Reſpondetur primo cum D. Auguſtino, requievit Deus ab opere novi generis creationis, ſed non à munere conſervationis, & adminiſtrationis, ſic enim Mundus ne ad ictum oculi ſtare poterit, ſi Deus ipſi virtutem ſuam detraxerit; noſtra igitur corporum formatio non eſt novum genus creationis, ſed eſt ſpeciei conſervatio, à qua non requievit Deus, propterea Chriſtus Dominus dixit Joan. 5. *Pater meus uſque adhuc operatur, & Ego operor*: ideoque ſi huic connectamus tot ſacras authoritates, quas ad-

duximus

duximus in paragrapho quarto præſentis tractatus, clariſſimè patet, quod jugis rerum Parens velit ipſe generationis effector eſſe.

Tertulliani ſententia coincidit cum Antiquis, qui, ut narrat Feſtus, ponebant genios Deorum Filios, ex quibus homines gignerentur, & propterea genium meum nuncupari, quia me genuit, unde ſicuti damnata fuit hæreticalis ſententia Simonis Magi, & Arrii, qui Mundi Creationem, opus ſane infinitæ potentiæ, Angelis fuiſſe commiſſam contendebant, ideo non mihi arridet ejuſdem Tertulliani opinio, qui generationis opus Angelis fuiſſe commiſſum exiſtimat, cum talis ſententia poſſit redolere de præfata damnata opinione, quippe homo ſit parvus Microcoſmus.

Secundum Dubium diſſolvendum, eſt: Supernus Deus rerum Architectus incapax exiſtit erroris, ac imperfectionis; ſed datur multiformia generis monſtra in Mulierum partubus, ergo indecens eſt aſſerere, concurrere Sapientiſſimum Deum in humana generatione, ac inde monſtra fieri.

Reſpondemus multis ex cauſis ſuccedere monſtra, ut videre eſt apud D. Auguſtinum 16. de civit. cap. 8. & præcipuè moraliter loquendo, ut manifeſtetur gloria Dei, ut habetur de Cœco nato in Evangelio, vel ut futura prædicant, vel ut ſani intelligant timere Deum. Ex parte verò materiæ ſuccedunt monſtra, & vitio ipſius, ſine ullo defectu æterni Pſalmatoris, qui imperio ſuæ Divinæ voluntatis hominem effingit in Utero ex propoſita ſeminis materia, impartiendo, ac diſtribuendo ſpirituum plaſticorum miniſterio unicuique parti illam configurationem, quam conſimilis pars habet in Parente, ex quo portio ſeminis deciſa eſt. Unde ſi contingat præter ordinatas Authoris naturæ le-

leges ſemen multiforme, ſeu diverſæ ſpeciei animalium in utero ſimul uniri; Vel ſi à debita quantitate deficiat, aut abundet, vel incohato tenello embrione, effrænata libidine ſuccreſcat: Vel aliqua in parte frigidius, aut denſius, quam facilè pervadi poſſit: Vel ſi forti imaginatione ſpiritus, & humores commoveantur, non impedito à Cauſa prima rerum naturalium curſu, monſtra fiunt, ac imperfecti fœtus gignuntur: Non ſecus ac rationalis anima, quæ quamvis perfecta in ſuo eſſe, nihilominus ex vitio humorum, & corporis organici in mille deliriorum genera abit, ita Deus ſine præjudicio ſuæ ſemper integerrimæ perfectionis ad formam materiæ ſeminalis vim ſuam omnipotentem largitur pro fœtus formatione, dirigendo ſpiritus, ut ſuæ efficientiæ inſtrumenta, ſicuti exigit ſubjecta materia.

Quo verò modo ſe gerat in generatione ſempiternus Pſalmator, & quibus utatur viis, confitemur ingenuè neſcire, quia dicit Dominus: *viæ meæ non ſunt veſtræ*, & Judicia ejus ſunt inſcrutabilia, ideo *Mirabilis*, ait David, *facta eſt ſcientia tua ſuper me, & non potero ad eam*, ob incompræhenſibilem nimirum modum procedendi Divinæ bonitatis, ut exponit Liranus, ſed ſolum cum Divo Auguſtino lib. 2. de Civit. Dei, cap. 2. repetere poſſum; *Si quæris quis fecerit, Deus eſt, ſi per quod! dixit, fiat, & facta ſunt, ſi quare fecerit? quia bonus eſt, nec enim Author excellentior Deo, nec ars efficacior Dei verbo, nec cauſa melior, quam ut bonum crearetur à ſummo Bono.*

A quibus doctrinis illuſtratus diſce Lector inter fabellas, & deriſiones numerare id, quod ſcribit Paracelſus in metheor. de generatione Stultorum, ubi non ſolum Deo, nec homini hominis generationem

tionem tribuit, ſed Vulcano cuidam, in cujus abſentia Diſcipuli hominem perfectum fabricandi artis ignari, ſtultum efficiant; de cujus quidem proſapia, ſi per impoſſibile ejus vera foret opinio, ipſum ortum eſſe, credere non eſſet alienum, dum hujuſmodi aſſertiones unuſquiſque mente præditus fatuas, & ſtultas judicat ſine ulteriori diſquiſitione.

SCRUTINIUM III.

Reiicitur abſurda opinio de generatione humana ex Ovulis muliebribus tantopere, per Novatores celebrata, eorumque error oſtenditur per plures rationes, & Sacras autboritates, & ultimò novum generationis ſpecimen exhibetur.

HOmo natus de Muliere expergiſcere tandem, tuæque generationis exordia pauliſper perpende? quid enim abſurdius dici poteſt, quod caliginoſa ignorantiæ nocte præmatur noſtri Corporis principium, & generationis exordium? compertum eſt in immenſa vegetabilium Provincia ſemen plantis intexere ſtamina, oviparíſque animantibus ovum vitam largiri; Verumtamen in ancipiti voluitur, ſi humana generatio debeat referri ad unionem ſeminis virilis cum muliebri, ut adhuc veneranda credidit Antiquitas, an ad prætenſa ovula in teſtibus Mulieris, veluti ovario elaborata, ut volunt Recentiores Anatomici, & Medici.

In qua ambiguitate, ut ipſe humilior inter tot candidatos quid ſentiam, aperiam, audacter dico cum Principibus Medicinæ, & Anatomiæ Hippocrate, & Galeno, quos innumerabilis Philoſophorum cœtus ſequutus eſt, humanos fœtus formationis exordium ducere ex utraque Mulieris, & viri geni-

tura progerminationem in Utero promovente, ut inferius explicabo, opinionemque humanæ generationis ex ovulis nuperrime introductam referendam eſſe inter paganiſmi ſordidas fabellas.

Si quidem Fabella fuit, Mithologos Deos Ægyptios ex ovo prognatos fuiſſe; parique modo Syrios quoque Deos ovorum progeniem eſſe, nec non Jovem ſpecie Cygni ovo gemino gravidaſſe Ledam, e quorum uno excluſi Pollux, & Helena, ex altero verò Caſtor, & Clytemneſtra. Propterea hujuſmodi Deitatis larvis decepti Pitthagoras, & Orpheus ſe ab ovis abſtinuere, utpote generationis primordiis, & eorum Eupedocles pediſſequus non ſolum omnia animalia ab ovo decidua; & progenita eſſe affirmavit, ſed & ipſa vegetantia ex ovulis arboreis pullulare dixerit.

Qua ſimili dementia affectus Democritus ſcriptum reliquit inſtar vermium natos homines ex ovulis paulatim, & inſenſibiliter humanam figuram aſſumentes; cui inhærens infauſtæ memoriæ Epicurus in Utero Terræ (poſtſillibant Recentiores in utero Matris) certis quibuſdam tunicis, & membranis incluſos homines, & animalia cœtera, quibus tunicis maturo tempore diſruptis ad lucem prodire ſcripſit.

Stoici autem, imò ſtolidi viceverſa in collibus, & planitie à particulis ſimul coagmentatis conſurgere homines autumabant, & Ægyptii, ac Ætiopes generationem hominis ex Terra peculiari ſuæ regionis adſcribebant, haud ſecus ac fungi. Quam ſi fulcire vellent abſurditatem in Recentiorum deliriis de generatione humana ex ovulis muliebribus, ſubſtentaculum invenirent; Quid enim repugnat, quod ovula ex teſtibus in Uterum prolapſa decidere non poſſint in Terram, ac exinde maturo tempore

pore

pore, diſruptis tunicis, in fœtus prorumpere? ac delirantium Philoſophorum inſaniam hac veriſimilitudine ſanare? O nefas, ò turpe, ò hallucinati Novatores, qui generationem illam humanam à tot Sacris Authoritatibus ſupra adductis concelebratam, & aſſerentibus opificem eſſe Deum, hiſce ridiculis commentis contaminatis.

Unde jure merito Sapiens Pater Luccheſinus è Societate Jeſu in paræneſi ad Atheos ſigno 4. inter Atheiſmum connumerare videtur hanc turpem ovorum ſententiam, loquens cum Atheiſtis; *Si ſerò tandem exortum eſt hominum genus ex ovis videlicet aliquibus, aut ſeminibus, ut, Vos è trivio circulatores, non enim Philoſophi blateratis, in quæ tandem poſt varias transformationes evaſerant atomi, quis primos illos Infantes alvit lacte, Quis veſtibus induit.* Hinc colligere licet hanc opinionem à fabellis originem habere, & à putridis Cimiteriis Atheiſtarum in lucem reviviſcere, quamquam ulceroſo hoc noſtro ſeculo veluti nova, & arcana prædicetur.

In quorum fabularum appendicem tranſcribere non eſt alienũ, quod refert Joannes Mattheus Faber in Vindiciis Aſtrologię acutiſſimos ſcilicet Cinéſium Bonſores, ſive Mixtas colere in Monte celſiſſimo Inſulæ Muco Idolum Dei Supremi cum aliis quindecim minoribus, his, inquit, credunt, comiſiſſe, ut ovuum conficerent ingens, eique elementa includerent omniam rerum, ex hoc ergo poſtmodum Bovis præpotentibus cornibus confracto, totius Mundi apparatum (ſolo homine excepto) prodiiſſe, credunt. Ex quo intellige Lector Gentes illas orizotomas ſine vero Numine, ſine fide, ſine luce, quamvis omnia ex ovo prodiiſse, autumarent, hominem tamen, in quo præcipuè Divini amoris radii ſcintillant, excipiebant.

Sed ab his jocalibus tranſitum faciamus ad ſolidas rationes, pro reiicienda generatione humana ex ovulis, quam tenent Theodorus Kerkingius, Drelincurt, Joannes de Muralto, Regnerus de Graef, Blancardus, Marcellus Malpighius, Nicolaus Steno, Hoffmannus, Joannes Suuammerdamus, Joannes Van Horne, Borellus, & alii communiter Recentiores, apud quos mulierum teſtes veluti ovaria Gallinæ facti loco ſeminis continent ovula, quæ à ſemine virili pro generatione debent irradiari, ac fœcundari.

Et primo hanc Recentiorum hallucinationem dilucidat obſervatio Hyeronimi Barbati de teſtibus Mulierum dicentis, *Seminales glandulas, quas ovales vocant, plerumque extant inanes, & quæ aliis videntur ova, extracta ſunt evidens glandula, & aliquando bitatides pro ovulis venditant;* Quod autem revera prætenſa ovula ſint de glandularum genere genitalem ſuccum ſeparantia, fidem facit inſertio nervuli, venæ, & arteriolæ, ſicuti in cœteris glandulis; Et ſi concederetur, eſſe ovula, difficili modo virile ſemen longè diſtans ovarium pertingeret, eoque difficilius duplici membrana ovulum circumſeptum perforaret.

II. Obſtat Anatomes, eo quia liber aditus de teſtibus muliebribus ad Uterum obſervatur, ſed ab Utero ad teſtes Ovaria dictos aſcenſum prohibent valuvlæ, ut Recentiores Anatomici confitentur, ideoque ſeminis materia perduci non poteſt ad prætenſum Ovarium ad fœcundanda ovula; Si vero adhuc urgeant, partem Seminis ſubtiliorem deferri poſſe per tubas fallopianas, tunc non ſolum prædicta valuvla, quæ eſt in principio, obſtaret, ſed vappida in tam longo itinere evaderet, & inepta ad generationem.

Hoc

Hoc argumentum deſumptum eſt à Divino Hipocrate dicente. *Mentuloſi ſunt infœcundi*, quod eo magis concludit, quo longior admodum eſt via de Utero ad ovaria, quam de pene quantumvis longo ad Uterum. Nec modo ab experientia victi recurrant Recentiores pro traſportatione ſeminis in ovaria, ad Cœcos ductus, ad ſpongioſas Uteri tubas, quia allegare ignorantiam, non eſt ſolvere argumentum, & verificabitur adagium: *Si Cœcus Cœcum ducit, ambo in foveam cadent*.

Neque dicant multoties in tubis falloppianis fœtus repertos eſſe, quia vel eſt fallacia, vel rari monſtri genus, quod nullum robur addit Novatorum theſi, & ne procedamus ſine authoritate in redarguenda aliorum opinione, erudiat nos Bonetus præclariſſimus inter Recentiores, qui Medic. Septent. ſect. 5. de concept. vera, & falſa obſer. prima recitando hujuſmodi obſervationes de fœtu humano in tubis falloppianis invẽto, rationem adducit, ſemen virile in tubis penetrare potuiſſe, ibique fœmineo ſemine commiſceri, & vi plaſtica in fœtum erumpere, qui tamen ad lucem nunquam poſſe pervenire, oſtendit: hinc collige primo generationem hanc monſtroſam non evenire per deſcenſum ovuli ad tubas, ſed ex miſcela fœminei ſeminis, ut ex neceſſaria hujus objectionis conſequentia muliebria ovula excludere diſcas. Secundo collige, quod fœmina niſi habuiſſet & teſtes, & ſemen ad hominis ſimilitudinem, ne appetere quidem coitum potuiſſet, ut in terminis docet Galenus lib. 2. de ſemine c. 4. Unde cum illi vigeat coeundi cupiditas fortaſſe magis quam homini, à ſtimulante ſemine provenire, cenſendum eſt, cum ad venerem proritare, atque in actu venereo delectationem parere, ſolummodo conveniat energeticæ ſemi-

ſeminis activitati, & nequaquam ovulis, ſive alteri limphatico humori, ut patet ex irrefragabili experientia in animalibus exectis.

III. Vaſa præparantia una cum nervulis ſubeunt veſiculas muliebrium teſtium, eodem prorſus modo, quo ſubeunt teſtes viriles, ac ita non poteſt aſſignari ratio, cur in virilibus teſtibus conficiant ſemen, & idem non conficiant in muliebribus, tanto fortius quod ex obſervatione Moſis Charaz in ſuo tractatu gallicè deſcripto una cum aliis Authoribus teſtes viriles cum fæmineis conveniunt: propterea infinita Galeniſtarum turba cum Galeno lib. de ſemine cap. 1. fæminas ſemine pollere validiſſimis probat rationibus, & controverti non poteſt, nam fæminæ nocturnis pollutionibus infeſtantur, præſertim Viduæ, & cadavera diſſecta in utero, & teſtibus, & tubis albo, craſſoque ſemine referta obſervantur, gonorrhea corripiuntur, ac dum ſemine acri partes genitales turgent, hiſterica paſſione vexantur, rabiem concipiunt, hominesque invadunt, ut crebrò hic Romæ, ubi vitam ago, videre mihi contigit.

IV. De hac veritate fidem irrefragabilem faciunt nonnulli Recentiores, & primo Bartolinus lib. 1. cap. 26. teſtificans circa finem: *Ex diſſectis fæminarum teſtibus ſemen erumpere, experientia conſtat, eo copioſius erumpente, Guinterius fuit in ſectione impeditus*. Secundò Beſſerius; qui ait: *in fæminarum ſectione ſi vegetæ fuerint, & à morbis liberæ, ſemper ſemen reperitur, & præcipuè in gravidis*. Tertiò Michael Rupertus Beslerus in delineatione admirandæ fabricæ uteri mulieris ejuſdem teſtes, glandulas, ſeu veſiculas prolificum ſemen continere, docet. Quartò Steno ipſe in ſuis obſervationibus ovi nomine in mulieribus intelligendas, eſſe ultrò docet, veſiculas

culas

culas humore plenas, quas quinto loco Diemerbroechius non dignatus fuit ovorum nomine nuncupari. Sexto tandem Hyeronimus Sbaraglia Modernorum Cenſor doctiſſimus, qui in epiſtola ſcripta, & relata ab Alexandro Paſcoli in ſua anatome humani corporis part. 4. cap. 9. ad infirmandam hanc erroneam opinionem, recitat obſervationem à ſe factam in muliere gravida, quę à Moro delapſa fuit & cultro anatomico adaperta, muliebres teſtes; ſeu ovaria, ita perperā nuncupata, dura, & ſcirrhoſa inventa fuere, & fibræ carneæ; ex quibus in ſtatu naturali conſtituuntur, erant tartarizatæ, ac mirabiliter implicitæ, quæ in hoc ſtatu morboſo non poterant prætenſum ovum excludere, & tamen formatum fœtum gerebat in utero.

V. Revera veſſiculas teſtium mulierum continere ſemen veluti humanos teſtes deſumitur ab experientia, quod nimirum liquor in illis contentus eodem modo condenſatur ad ignem, ut coaleſcit humanum ſemen; & verum ſemen eſſe re, & ſenſu ex effectibus colligimus maſculo ſimilibus, nimirum ad illud generandum ſufficiens calor, vaſa præparantia, nervuli, & humor, ac tandem delectatio in profuſione, quæ limphæ, ſeu alteri humori; ut diximus, convenire non poteſt, nam hæc blandam illam titillationem ſeminis particulis propriam efficere nequeunt, ideo hac delectatione carentes caſtratæ ſues non ſe amplius cum Apris commiſcent, ut ad rem Galenus lib. 2. cap 4. de uſu ſeminis muliebris adverſus Atheneum, Ariſtotelem, & Empedoclem, ubi inter multas alias rationes adducit in teſtimonium exectiones teſtium, quæ fiunt in ſuibus fæminis, quæ exectæ non amplius, ut prius Apris ſe ſubjiciunt, ſed omnis congreſſus venerei obliviſcuntur. Unde antiqui Philoſophi, cum aliis mul-

tis

tis Recentioribus animadvertentes copioſum, qui in coitu profluit humorem delectantem, ſanciverunt muliebres teſtes profundere ſemen virorum ad inſtar, & nequaquam ovula veluti ovipara.

VI. Quænam eſſet ratio, cur aliquando fæmina, & aliquando mas in lucem edantur, ſi omnia dicta ovula in ovario perperam dicto ſunt ejuſdem rationis, nullum inter illa contradiſtinctum verſatur diſcrimen, niſi recurratur ad veridicum Hipocratem aſſerentem, hoc evenire à prævalentia geniture ſive maris, ſive fæminæ, quamvis poſt conceptionem, ut complaceam Philoſophis ovicularius, aſſeram cum Ariſtotele de generat. animal. lib. 3. c. 9. *Quæ intra ſe pariunt animal, iis quodammodo poſt conceptum, oviforme quiddam efficitur.*

VII. Si generatio humana oviparis æquiparatur, quare ſi ovipara emittunt ova, ita non peragunt mulieres, & ſi gallus, cujus penis vix percipitur unico incubatu totum fæcundat ovarium, cur homo gallo ſalacior, & longioris penis omnia muliebria ova unica vice non fæcundabit? ſed ſolum fæmina paſſa marem unicum, vel gemellos raro edit fœtus. Si verum eſt, ò Malpighie Recentiorum Princeps, quod ſcribis in operibus poſthumis ad Jacobum Sponium. *Ex naturæ legibus mulieres, ſicut & reliqui viventium ordines promere ova, quæ uterino ſinu recepta, & maſculino ſemine fecundata in novum animal explicantur*, quare hæc ovula ſicuti in animalibus oviparis non conſpiciuntur, lapideo cortice haud inveſtiuntur beneficio caloris primam humiditatem exiccantis? dum ex lege paritatis cauſa, effectus, & ſigna debent convenire, aliter paritas non eſt veridica, & analogiſmus cadit.

VIII. Si verum eſſet, quod generatio hominis haberetur ex ovo, eo quia teſtes in mulieribus nil

aliud

aliud contineant, quam minutiſſimas quaſdam veſiculas, ovula in ovario gallinæ perbellè redolentes, ſequeretur primo, quod ovula iſta creſcere, & augeri deberent ſecundum hominis magnitudinem, & centuplo grandiora fieri, cum compertum ſit, ova eo grandiora eſſe, quo animal eſt procerius, ſic ovum pipionis minus ovo gallinæ ſe habet, ovumque gallinæ inferius eſt gallinaceo, & ovum ſtructii cameli grandius eſt ovo gallinaceo, ita ſervata proportione, humanum ovum luſorio folle majus eſſe deberet, quando illæ veſiculæ ovula dictæ ſunt ad inſtar granorum millii.

Si verò dicatur in cæterorum animalium ovulis præter vitalia ſtamina includi quoque alimentum, ac ideo ovula eſſe grandiora, reſpondetur ſub eadem ratione, quod ideo prætenſa fæminarum ova non erumpunt in fœtus, ſicut ovipara, quia illa ova non ſunt grandiora continentia cum partium compendio neceſſarium alimentum pro auctione, & ſicuti diverſa eſt ratio alimenti, ideo diverſa eſt Viviparorum generatio; & contra arguere licet, ſi alimentum non cōtinent, quibus viis à ſua ovarii radice avulſa poterunt ovula nutriri? ac inde augeri?

Si dicatur per tranſudationem nonnullorum ſuccorum ex uteri glandulis chorion, & amnios ingredientium, quos ſugere licet fœtui, qui alioquin labiis, clauſoque ore manet in utero, ridicula quidem hipotheſis non dum ullo probata, ac difficili modo probanda, concludens cum Sennerto lib. 1. cap. 10. de generatione. *Neque enim per os cibum capit Infans, nec prima, nec ſecunda coctione indiget nec cordis influxu, aut cerebri ſenſu, ſed iſta, quibus indiget, à Matre accipit,* quod clarè prius docuit Hipoc. lib. de Natura Pueri, & ubi Hipoc. ait puerum *lacte veſci*, pro lacte intelligunt ſanguinem mater-

nuin

num proximam ejuſdem materiam, ut Andreas Laurentius lib.9. q.3. & Sinibaldus ſenior in Hipocratis antiphona lib. 1. in Syncatatheſi.

IX. Si verum eſſet fæminarum ovarium gallinarum ad inſtar, ab æſtro ſane ſpumantis libidinis Juvenis fortis, & ſucci pleni affatim, & per repetitas vices ejaculato ſemine in utero amatæ Sponſæ, prima conjugii nocte totum ovarium cum omnibus ovulis remaneret abundanti ſeminali aura irradiatum, fæcundatum, & virtute plaſtica inſignitum, indeque omnia ovula prolifica effecta, ſicuti galli unico incubatu totum ovarium in gallinis fæcundum redditur, ideoque vel Sponſa tunc multiplices deberet edere fœtus, vel pro nova conceptione ulterius conſortio Viri non indigebit, & poterit cum divortio Viri ſingulis annis prolem gignere, filioſque parere. Ubi nunc Viduarum pudicitia, ſi in hac hipotheſi, defuncto conjuge per plures annos fructus colliget matrimonii? Ubi nunc Cornelia lex, adulteria abſentis Viri, ut punias, recognoſcere tibi fas eſt? dum impunè ſemper pariet fæmina, ſi ſemel Virum cognovit? Verumtamen cum neutrum ſequatur, argumentum eſt evidens non ex fæcundatis ovis generationem fieri, ſed ex maris, & fæminæ genitura, necnon ex uteri fibrarum extenſione, & complicatione, ut inferius recenſebo.

X. Mulier in pollutione, ac in ſeminis repurgatione ovula quotidie extrudere deberet, & loco ſeminis in vteri capacitate ovillares globulos effluere teneretur, nihilominus poſt ludum venereum profudit Mulier ſeminalem liquorem illam delectantem, nec foras progredi videt corpuſcula sferica, rotundos globulos, & effluvium rotundarum particularum: ac ita locum habent authoritates Hipocratis lib.de genitur.ac libro 4. de morbis in princi-

principio, ac Galeni lib. de fœt. form. cap. ult. & Alberti Magni de nutrit. tract. 2. cap. 2. aſſerentium ad generationem utramque genituram maris, & fœminæ concurrere, ac eſſe deciduam ex omnibus partibus corporis. Quia hoc modo conciliatur, cur filii parentibus ſimiles naſcantur, ac in eadem parte læſi, & mutilati, manci, & vitioſi, veluti eorum fuerunt Progenitores, ita ut magnus Hipocrates ſæpe ſæpius exemplis, & experimentis in libris de aere, aquis, locis, & de morbis repetat, ad hominis generationem de omnibus & Viri, & Mulieris partibus ſemen progredi, ac in Muliebrem uterum illapſum à ſanis quidem ſanum, à morbidis morboſum, fiatque, ut ex calvis calvi gignantur, ex cæſiis cæſii; Hoc idem confirmat Scitharum exemplo, qui à diuturna equitatione debilitatis cruribus coxendices contrahunt, filioſque pariunt eiſdem vexatos doloribus, ſic agens de morbo ſacro concludit: *Quid prohibet, ut cujus Pater, & Mater hoc morbo correpti fuerint, etiam Poſteriorum, & Nepotum aliquis eo corripiatur? Semen enim genitale ab omnibus corporis partibus procedit à ſanis ſanum, à morbidis morboſum.* Hinc cum utraque genitura à ſingulis quibuſque corporis partibus mediante ſanguinis circulatione fiat, & decidat, ſequitur, ut ſecum tranſportet quamlibet generantis particulam delineatam, & adumbratam ſimilem in prævalentia quo ad ſexum, ſpeciem, atque effigiem, & ecce ſimilitudo ab Hipocrate enunciata.

XI. Certum eſt ſeminis materiam, ſingularem determinationem habere illam referentem partem corporis Parentum, ex qua fluxit, quamque in fœtu debet effingere per fibrarum Vteri directionem: cum ſpiritus abradant, ut ita dicam impreſſiones, & figuras ex partibus corporis, per quas permeant,

ideo-

ideoque læſiones hæreditarias (ut cum Hipocrate ſupradixi) earumdem partium imprimant in fœtus formatione, & partus Parentibus aſſimilentur, illiſque relationem habeant, ſed ſi in ovulis, ut placet Recentioribus Jo: Suuammerdamo, Joanni Van Horne, Hoffmanno, Borello, & aliis, continentur integra authomata, nimirum involuta omnium partium ſtamina, & ipſa generatio non ſit progreſſus de non eſſe ad eſſe, ut volvere Majores, ſed partium in ovulo latentium explicatio, & augumentum, ſequitur parum Patrem conferre in fœtus formatione, nullamque inter illum, & filium vigere ſimilitudinem, cum irradiatio ſeminis paterni tantum deſerviat pro dicta explicatione partium in ovulo latentium, veluti agit calor Solis in ſeminibus commiſſis Telluri, in quibus plantarum pandit involucra. Quod quantum diſtet à germano veritatis ſenſu, noverit quiſque, qui Hipocratem citatum Medicinæ Numen, & veritatis Oraculum conſultò perpenderit.

XII. Si generatio, inquam, humana oviparis aſſimilatur, quare ad aſpectum non ſe exhibet aliqua diſtinctio inter ovula ipſa reſpectu minoritatis, & magnitudinis, ſicuti apparet in gallinæ ovariis, in quibus nonnulla majora, aliqua verò minora ſemper videntur? quare ſi ovipara emittunt ova, ita mulieres non peragunt, ut paræmia ſalvetur? Et ſi ex ovo minima agitatione quaſſato nullum excludi pullum, experientia rerum magiſtra teſtatur, immo infæcundum evadit, ex eo quia confunditur, & quaſi fit ruptura partium determinatarum, cur idem accidere prohibetur in muliebribus ovis, quæ continua muſculorum preſſione, corporis, & animi agitatione conquaſſantur, compræmuntur, agitantur: Et ſi in paritatibus ſervanda venit æqualitas,

litas, certè fœtus ex illis prodire nequirent, nullaque ex illis daretur generatio.

XIII. Seminales veſſiculæ nunc ovula dicta vinculis invicem, & membranis alligata ſtrictè, ac fortiter conſpiciuntur, ut primò impoſſibile ſit, quin aura ſeminalis, ſive ab utero ad teſtes exaltata, ſive à poris uteri ibi delata prævia ſanguinis circulatione juxta Recentiorum hipotheſim, indiſcriminatim omnia ſuppoſita ovula ſimul aggregata, ſivè completè, ſivè incompletè non irradiet. Secundò quod prætenſa ovula quæant abrumpi, diſſociari, ac evelli, admodum difficile; quin, fractis ligaminibus, ingentem pariant dolorem.

Nec ad ſuperandam hanc difficultatem recurratur ad ſimilitudinem ovi gallinæ, vel fructus maturi, quia ovum gallinæ non ſolum gravitate ponderis decidit; ſed quia productiones membranulæ, quibus alligatur, exſiccatæ lapideſcunt, unde facto conamine per muſculorum preſſionem in violenta gallinarum crocitatione, & cantu prolabitur ovum, ſic decidunt maturi fructus pediculis exiccatis, quod nullo modo valet verificari in ovulis Muliebribus, quæ irradiata à ſemine non ſicceſcunt, ſed vernare debent, nec lapidea membrana circumdata, facto impetu, per ſe labuntur uterum verſus, dum ad talem ſiccitatem non perveniunt; præterquamquod teſtes muliebres in abdomine ita propendent, ut ova ex illis propulſa potius in cavitatem abdominis deciderent, quam tubarum extremitates exciperent, & conſequenter quocunq; animum volvas, laberinthũ ingredieris.

Creſcit hic amplius confuſio ex experimento Harvei ſeduli Naturæ Indagatoris in exercitatione 66. & 67. millies repetito, quod nimirum multis elapſis diebus, & poſt integrum ferè men-

ſem à coitu nihil prorſus vel ſeminis, vel conceptus apparet in utero Damarum, Cervarum, Cuniculorum, ovium, cæterorumque animalium, qua poſita oculari obſervatione, ſi ova uterino ſinu recepta (ut verbis utar Malpighii proximè citati) & maſculino ſemine fæcundata in novum animal explicantur in utero, ubi locorum ſunt hæc ova? Vbi animal explicatum? ubi ſaltem rudimenta, ſi nihil prorſus apparet.

XIV. Stephanus Blancardus inſtit. medicinal. cap. 25. de generat. & format. fœtus, quem communiter Recentiores ſequuntur, aſſerit, muliebria ova habere omnes futuri corporis partes completas, eodem modo, ac in viſibili infante concretæ, & coagulatæ ſunt, ac fæcundatio, ſeu conceptio, ut ſubnectit Suvammerdamus, nil aliud eſſe videatur, quam perfectioris motus communicatio, ita ut ovum, quod nutriebatur, & vivebat, poſt conceptionem, ovario relicto, perfectiori modo nutriatur, & vivat; quo poſito non ſolum non ſalvatur relatio, & ſimilitudo inter Patrem, & filium, ſed additur robur fabellis naſci homines ex ovulis ad inſtar vermium, ac manuteneri in eorum dementia exigent Ægiptii, qui prætendebant, ex terra peculiari ſuæ regionis eſſe humanam generationem; dum Mulieres habentes ovula continentia omnes partes completas futuri corporis, viventia, & ſe nutrientia, ambualando, ſaltãdo, iter ad cãpeſtrias peragendo, ovula in terram poſſunt decidere, ac inde naſci homines fungorum, vermiumq; ad inſtar.

Nec ipſi deluſi in præſenti ratiocinio recurſum petant, quod pro fœtus excluſione irradiatio virilis ſeminis requiratur, quia, ipſis fatentibus, hæc ſolum inſervit, ut perfectiori modo nutriantur, & vivant, ac ita cum hac reſponſione

ſal-

ſalvari non poteſt ſimilitudo filii ad Patrem, minuſque ſalvatur, quin homines naſcantur ad inſtar vermium per vicos, arva, & plateas. Immo in hac erronea hipotheſi Recentiorum nullam adeſſe video implicantiam, quin fœtus progigni valeant à Mulieribus ſine commercio Viri; ſiquidem per ipſos in ovulis adeſt completa partium corporis humani configuratio, vita, & nutritio, & quid rogo adhuc requiritur pro fabrica corporis humani viventis? Majorem fortaſſe ſperatis vitalizationem, & vegetationem? hoc ipſum à virili ſemine mulier fortis, & valida per ſe poteſt ſupplere, & hanc opem à ſpiritibus aliunde petere. Proh ſcelus, ò nefas! Nonne per hanc hypotheſim obſcuratur Incarnatio Domini Noſtri Jeſu Chriſti ex Beatiſſimæ Virginis utero, operante Spiritu Sancto, facta abſque Viri commercio, & contactu? cavete igitur, ò Novatores, latet anguis in herba.

XV. Borellus cap. 14. de animalis generatione ab aliis Novatoribus non diſſentiens, tradit, mulieres non ſuccum genitalem, ſed tantummodo ova conficere, ſcilicet integrà authomata cum omnibus organis, & partibus conformationi animalis neceſſariis elaborare. In propoſitione verò 184. ait, quod ſemen virile non fæcundat ovum ſua irradiatione, ut voluit Harvejus, & alii, ſed contactu, & mixtione corpuſculorũ ejus, & in ſupradicto Capitulo refert nefandum experimentum Malpighii recentiſſimi Authoris, quod in Inſectis fæcundantur ova à contactu, & aſperſione ſeminis virilis, quod ſatius ſi tacuiſſet, quando experiri, impium eſt, & melius, ut loquar cum Cardano, centum dicenda prætermittere, quam hoc unum tacendum proferre.

In quibus, & ſequentibus aſſertis contradictionem non modicam adeſſe video, nam ſi ova ſunt integra

 autho-

authomata cum omnibus organis,& partibus neceſſariis, particulæ ſeminis virilis non poſſunt miſceri ſine alteratione, & deformatione ovulorum integrè authomatorum,eo quia,quæ integra ſunt, ſuperadditione non indigent, dum non eſt, quod ipſis deficiat; Etſi præfata Borelli ſtaret opinio, depravati quotidiè fierent conceptus; ac Orbis Terrarum Hermaphroditis eſſet replenus utroque ſexu donatis, nam virile ſemen eſſe aptum pro formatione partium corporis, conſtat ex innumeris authoritatibus claſſicorum Authorum omnibus notis, & experientia ſimilitudinis Patris ad filium, quo ad temperamentum, & defectum, ut ſatis indicavi in undecima ratione, id ipſum firmiſſimè perſuadet; ſed vice verſa in ſua propoſitione omnes partes corporis incluſæ manent in muliebribus ovis, & per conſequens ſi particulæ virilis ſeminis commiſcerentur cum ovis, depravati fierent conceptus, ac indè monſtra Androgini dicta replerent humanam Rempublicam, & Jani bifrontis renovaretur fabella.

Ulterius ſeminales veſiculas ovula dicta integra continere authomata, de falſitate convincitur ab experimentis à ſapientiſſimo Galeno relatis in lib. 2. de ſemine cap. 1. ubi ait: *Si enim Aſini ſemen Equa in utero exceperit, fœtus non Patris tantum, ſed ex utriſque miſtam ſpeciem præſefert*; ac paulò inferius ſic pergit: *ſi ovem caper innierit, ovem duriori lanitio, ſi è contrario Capram Aries, molliori pilo gignere.* Quibus Galeni enarratis obſervationibus non vobis inter hæc obſcena memorare debebo ſacras illas authoritates adductas in §. 9. in quibus patet ad evidentiam generationem minime fieri ex integris authomatis,ſed tantummodo veſtro procedens analogiſmo de bellvis ad hominem, dico, quomodo

ovula

ovula poſſunt eſſe integra authomata, ſi Equa Aſini ſemen excipiens, miſtam ſpeciem gignit utriuſque ſeminis miſtionem apertè denotantem? Unde poſſet emergere ſpecies amphibia, ſi jam ovula continent integra authomata, quæ ut veſtra jam recenſita fert opinio, dumtaxat per irradiationem aſinini ſeminis motum, & explicationem nanciſcuntur? Deh *Vos pudeat tandem, vos puduiſſe nihil.*

XVI. Enunciatam Borelli, & Recentiorum de ovis integrè authomatis ſententiam infirmant experimenta Paracelſi, & Arnoldi de Villanova, qui ex ſolo ſemine virili homunculum naſci probarunt, necnon obſervatio Jacobi Silvii Batavi in noviſſima febrium idea pag. 17. & Antonii Leuuenhoech relati à Mangeto, verbo *animalium*, qui ſecreta naturæ microſcomio rimantes, recentiſſimè obſervarunt in virili ſemine humanam effigiem in compendio concluſam, & conſequenter veſtræ opiniones, ò Recentiores tam ſubtiles, tam acutæ opponuntur diametraliter inter ſe, & ſi vera canere licet, ſunt abſurdæ, impiæ, & hæreticales, quod ut evidenter pateat, & manibus palpetur, legite quæſo in antecedenti paragraphum quinctum per totum, & de hac veritate imbuti abibitis.

Porrò quid enim ineptius dici poteſt, muliebria ova, ita perperam nuncupata, granorum millii ad inſtar habere incluſa omnium corporis partium ſtamina, quando ſemina lactucæ, endiviæ, ac cicoreæ, quæ plantam continent centuplo minorem humano fœtu, ſunt quatruplo majora muliebribus ovulis? & ovum pipionis centuplo exiguius humano fœtu, totum ovarium Muliebre repleret?

Quid inquam abſurdius, maſculum ſemen nil aliud eſſe, quam vehiculum cujuſdam ſalis volatilis, ſeu ſpiritus ovulo Mulieris contactum vitalem

 impri-

imprimentis, ut ſentit Reignerus de Graf? ac copula maris tantum efficiat, ut patefactis quibuſdam poris, & meatibus, qui ante occluſi fuerant, tunc ideæ in ovis mulieris nutrimentum, affluente ſucco, capere incipiant, ac vegetare, ut effutit Conradus Pierius in ſua Miryologia? Sunt enim hæ barbaræ opiniones contra ſanorum Philoſophorum placita, Theologorum mentem, ac ſacrorum dogmatum authoritates, hæreſes, & paganiſmum redolentes, ut patet ex paragrapho quarto, & quinto de humana generatione proxime antecedentibus.

XVII. Non deſunt Sacræ authoritates ſignificantes ſemen habere Mulieres, quod vos quodam ſtulto, & improportionato analogiſmo ovula vocatis, audite ergo, ò Novatores, & tandem cedite palmam; Apertis litteris habetur in Levit. cap. 12. verſ. 2. *Alloquere filiis Iſdraelis, dicendo, Mulier cum edit ſemen*, ergo teſtes muliebres continent ſemen in ſuis veſiculis, ſive vaſorum conglomeratione, & non ovula veluti Gallinæ, ò Gallinacei Doctores. Ita S. Damaſcenus lib. 4. de Orthodoxa fide cap. 7. hominis generationem definit *ex concurſu maris, & fœminæ ſimilis ſubſtantiæ Individui procreationem*, ac muliebre adeſſe ſemen, quod in generatione cum virili miſcetur, docent D. Thomas 4. diſt. 41. qu. unica art. 1. quæſtiuncula 3. & clarius eodem art. 1. quæſt. 4. ad 2. D. Bonavent. 4. diſt. 41. quæſt. unica art. unico quæſt. 1. & ibi Durandus quæſt. 1. num. 7. Vignerius lib. inſtit. cap. 16. §. 7. verſ. 9. & Sanchez lib. 7. diſp. 64. ubi multas Sanctorum Doctorum adducendo authoritates probat, ad generationem fœmineum ſemen eſſe neceſſarium. Unde S. Paulus Spiritus Sancti tuba ad Corinthios c. 11. *Non enim Vir ex Muliere, ſed Mulier ex Viro, etenim non eſt creatus Vir propter Mulierem, ſed Mulier propter*

pter Virum, quod contra in hodierna opinione eſt, dum Vir à Muliere, & ex Muliere, ſcilicet ovo Muliebri cum organis, & partibus corporis ad formationem neceſſariis inſtructo, prodit in lucem.

XVIII. Videtur ſanè mihi huc pertinere etiam poſſe viſionem illam S. Joannis in Apocalipſi c. 12. in fine: *Et iratus eſt Drago in Mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus*; ubi primo nota ad rem noſtram particulam *de ſemine ejus*, deinde perpende Lector, quod verè iratus ſit Drago in Mulieres, dum illas non ſublimiori modo, ut dixi in paragrapho quarto, ſed veluti pedilētas gallinas incubari, & oviparere inſufflavit Draco in Modernorum mente, & abiit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, cum illis videlicet ſive maſculis, ſive fœminis, qui naſcituri erant ex ſemine ejus, *ex ſemine ejus* inquam, *non ex ovulis*, ait Joannes, ne Drago nos deciperet.

XIX. Prophetizaſſe videtur Iſaias in cantico Ezechiæ hanc ineptam ex ovulis Mulieris opinionem, & dolens exclamavit: *Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt à me, quaſi tabernaculum Paſtoris, ſicut Pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut Columba*, ubi, ſi ſalvo ſemper genuino, & veriori ſenſu, prophetica dicta ad rem noſtram extendere liceat, generatio mea, inquit, convoluta, & ablata eſt à me, dum integra authomata partibus omnibus inſtructa in Muliebri ovo involuuntur, ideo generatio ablata eſt à me, qui activiori ſpermate pro partibus formandis ſuppeditabam materiam: clamabo igitur *Sicut pullus hirundinis*, qui ex ovulo conſurgit ad vitam, dum eodem modo noſtros conſurgere fœtus, Recentiorum turbam aſſerere, prophetizo: *Meditabor ut Columba* muliebria ova de ſemine ſic mirabili metamorphoſi transformata

in ſimilitudinem ovarii Gallinæ.

Quapropter ſileat doctiſſimus Sanchez diſp. 17. lib. 9. de debito conjugali in quæſtionem vocare, an ſit culpa lethalis, quando data opera ſeminatio utriuſque Conjugis non eſt ſimul, aut extra congreſſum effunditur, an inquam utrumque Conjugem ſit neceſſe, ſeminare ſimul, quia ablata nunc eſt difficultas, dum Mulieres ſemen non habent, & eorum teſtes converſi ſunt in ovarium; Taceat ergo Sanchez, ſileant Theologi, valeat Eccleſia. Verumtamen quę dixi, perpetuum veſtris ineptiis imponatur ſilentium, ò Novatores, & cum veſtro dedecore, Sæculi riſu, Doctorum cordatorum omnium ludibrio, Piorum deteſtatione in æterna oblivione jaceat ſepulta hæc veſtra ovalis doctrina.

XX. Tandem ſi tot rationes, tantæque authoritates ſatis non fuerunt hanc novam de ovis evertere opinionem, proterviamque Recentiorum convincere, per ſententiam Hipocratis condamnatoriam mitterem illos ad Ancyram helleboro nigro repurgandos, dum hic magnus Vir, qui rarò falli, vel fallere poteſt lib. de diet. damnationis fulminando ſententiam, ita pronunciat: *Si quis animam animæ miſceri negavit, demens eſto*, intelligendo pro anima ſemen, ut communiter interprætatur. Subſcribit hanc ſententiam Locumtenens Mirindolus artis medicæ part. 1. cap. 2. ubi delirantes vocat illos, qui inſpexerint utriuſque ſexus organa, nempe vaſa præparantia, paraſtres, teſtes, & vaſa deferentia, & non fateantur ad pares fines eſſe conſtructa, dum fœminę iiſdem gonorrheis, pollutionibus nocturnis, delectationibus, venereiſque ſtimulis percelluntur: Ova enim ad Venerem movere, ad libidinem ſtimulare, riſum movebit potius, nam ovulis non eſt datum ad venerem prolectare, ſed pro-

prię

priè ſeminis ſubſtantiæ convenit; immo ab ovario avulſa ovula dolorem potius parere deberent, quam delectationem.

Sanati demum debitam præſtate fidem noſtris Præceptoribus Hipocrati lib. de natura Pueri, Galeno lib. 14. de uſu part. cap. 10. & lib. 2. de ſemine cap. 1. Avicennæ fen. 20. tract. 2. cap. 3. & Platoni in Timæo unanimiter dicentibus utrumque ſexum ad generationem conferre ſemen, quibus alludens Lucretius, claudendo ſcrutinium, canit

Semper enim partus duplici de ſemine conſtat.

SCRUTINIUM IV.

De Novo Authoris generationis ſpecimine per internam Uteri fibrarum, & Vaſorum protuberantiam, extenſionem, & intexturam poſt coitum peractæ, mediante ſeminum emollitione, ac vi plaſtica directiva, nec non de cauſa, cur modò mares, modò fœminæ generentur.

DIſcuſſis, & rejectis uſque dum tot Novatorum erroribus circa humanum generationem, tempus jam properat ſub criterio, ac aliorum cenſura noſtræ generationis opinionem ſubiicere, quæ ſi placuerit par meis votis præmium retuliſſe judicabo, ſin minus id ſaltem mihi videbor aſſecutus, ut pro rei, de qua agitur utilitate, ſublimiori ingenio noſtri ſæculi exerceantur Philoſophi: ac etiam ipſe æqua lance ſub Novatorum cenſura compræhendar. Qua de re neceſſarium eſſe, cenſui, in hoc novo generationis ſpecimine ſequentia præliminaria præmittere, quibus ſternatur veluti via ad ſtabilimentum meæ opinionis, ut ſi in errores inciderim, aliquam ex hiſce excuſationem promerear in re-

ram

tam ardua, & difficili, de qua certè Sacrum Oraculum verificatur, *ut neſciat homo à principio uſque ad finem, quod operatus ſit Deus.*

Et primò in noſtro generationis exordio, ne taceam mirabilia Dei, ſequentia balbutire tentabo, præſupponens nimirum ſeminis materiam rem eſſe valde fermentatam, depuratam, ac ſpirituoſam, quæ per repetitas circulationes rudem quandam delineationem, & partium ſignaturam in ipſarum permeatione acquiſierit, & ſit veluti extractum corporis humani, quod in teſtibus, & glandulis paraſtratis ad uſum veneris tanquam in ampullis pretioſi liquoris adſervatum maneat, donec venereo æſtro ſollicitata ſenſatio in fœminei Uteri ſubſtantia ejaculetur, tamquam in Damaſceno campo, pro humana fabrica conſtruenda.

II. Præmitto Uterum eſſe membranam conſtructam ex fibris & carneis, & nerveis, ac infinitis propemodum ramificationibus venarum, & arteriarum circumſectam, adeo ut Uterus valeat dici terminatio omnium vaſorum, & fibrarum humanam corporis molem conteſtantium: Unde jure merito Plato vocavit Uterum *animal in animali*, dum omnia ea in ipſo non deſunt, quæ neceſſaria videntur pro humana corporis compage intexenda.

III. (Et hoc eſt præcipuum fundamentum meæ Intentionis) ex veridica, & inviolabili obſervatione millies repetita præmitto, quod Uterus poſt nonnullos dies à ſeminis ejaculatione, & fœcundatione maximam ipſius ſubſtantia interna ſubit mutationem, ut primo obſervavit noſter Galenus de diſſect. Vulvę cap. 10. in Iſagogis, ubi *Cum Fœmina conceptura, Uteri vaſa, quæ interiorem partem penetrant, ex quibus etiam menſes expurgantur, ora magis adaperiunt:*

Ocu-

Oculatiſſimus ſecundo obſervavit Harvejus hanc mutationem poſt coitum aliquibus tranſactis diebus in Utero Damarum, atque cervarum per repetita experimenta in exercit. 66. & 67. ubi videre eſt, quod poſt coitum earum Uterus paulò carnoſior, & craſſior, mollior etiam, ac tenerior conſpicitur; In cavitate verò utriuſque cornu caruncula quinque, ceu verrucæ molles, aut papillæ ordine diſpoſitæ protuberant, quarum prima reliquis major, cœteræque ſuo ordine continuo minores ſunt, quemadmodum & ipſa cornua perpetuo ductu verſus extremum cacumen tenuantur. Eorum aliquæ ad digiti craſſioris amplitudinem, quaſi caro fungoſa luxurians excreſcunt, quæ aliis albidiores, aliis rubicundiores viſuntur; Quo magis conceptio progreditur, craſſior redditur Uterus, & carunculæ jam tumidiores mulierum papillas referunt, lacti profundendo paratas crederes, abſciſſa autem harum ſummitate pro intima conſtitutione intelligenda, diligentiori indagine intellexit, arteriolarum eſſe, capillamenta muccoſa viſciditate obducta.

Obſervavit etiam, vaſa uterina plura, & conſpectiora præſertim arterias eſſe tempore coitus; deinde poſt coitum pluribus elapſis diebus prorumpere muccoſa quædam filamenta tanquam aranearum telas ab ultimo, ſeu ſuperiore cornuum angulo, quæ ſimul unita tunicam membranoſam referant, nec non interiorem Uteri ſuperficiem tuberibus inflatam mollitiem ventriculorum cerebri, aut carnis glandis intra præputium referre, & exercit. 69. obſervavit, conceptum in utrolibet Uteri cornu mediantibus præfatis quinis carunculis copulari totidem in locis, & adnaſci, non adeo tamen, quin facili conatu avelli queat, inſuper addidit, ſi avulſeris,

ſeris, videas illico ex ſingulis cotyledonibus, & favis, eorundemque mucore, totidem ſurculos, ſive capillares vaſorum umbilicalium ramuſculos, tanquam filamenta oblonga ſimul extrahi; quemadmodum herbas è terra evulſas radices ſuas comitantur.

Demum prætermittere non debemus, quod idem Harvejus per repetitas obſervationes non ſine multis teſtibus etiam regia dignitate inſignitis teſtatur per plures à coitu dies, ſcilicet per integrum ferè menſem à coitu nihil prorſus vel ſeminis, vel conceptus in Cervarum, Damarum, Canum, Cuniculorum, Ovium Utero repertum fuiſſe, quamvis poſtea elapſo circiter menſe ſupranarratas mutationes in interna Uteri parte obſervari contingat; quod quantum veritatis fulcimentum afferat noſtro generationis ſpecimini, in ſequentibus eluceſcet.

His ergo obſervationibus præmiſſis miror inde Harvejum tam accuratum Virum affirmaſſe conceptus principium quid ſpirituale non corporeum, & fieri conceptum uterinum, ut mentalem in cerebro, quando ab hujuſmodi obſervationibus illuminatus debuiſſet eſſe obſcuri generationis exordii felix inventor, ſicuti circulationis ſanguinis fuit feliciſſimus explorator, vel ſaltem primus omnibus excellentior, qui de circulatione dixerint, Authoribus.

Nec inſuper diſcrepantes eſſe videntur recenſitæ obſervationes ab Hippocrate, & Galeno, qui præ cœteris ſeduli fuerunt naturæ exploratores, quos veluti fundamenta meæ opinionis pariter præmittenda eſſe cenſui. Famigeratiſſima enim hiſtoria eſt illius inſignis Pſaltriæ ab Hipocrate relata, de cujus ventre ex ejuſdem conſilio per pſaltus conceptus effluxit, qui ut narrat Hipocrates, *perinde e-*

rat

rat, ac ſi quis crudi ovi exterius putamen detraheret, ut per interiorem membranulam interior humiditas pelluceret, talis quodammodo planè erat, rubrumque, atque rotundum quoddam inerat, in membrana verò fibræ quædam albæ, & craſſæ in ſe cernebantur ſanie craſſa, ac rubra involutæ, & extrinſecus circum membranam cruenti livores, in medio tenue quippiam habet, qui mihi videbatur eſſe umbelicus.

Galenus de fœt. form. cap. 2. hanc effluxam Hipocratis genituram explicans, *in hac* inquit *oratione membrana quidem, quæ continebat genituram; ea erat, quæ Chorion appellatur, quod autem albas, & craſſas fibras cum ſanie craſſa, & rubra in ſe habebat, delineationem fuiſſe venarum, arteriarumque generationem exiſtimandas; ſunt enim quamplurimæ venæ, & arteriæ juxta ſe ipſas porrectæ à continuo quodam tenui, & membranoſo corpore comprehenſæ, atque inter ſe connexæ, quarum origo ex arteriis, & venis Uulvæ extrema ſua in anteriores ejus loculos patefacta habentibus, quibus fœtus cum fœtificante conjungitur &c.*

Deinde concludit, *facta autem in orificiis Uulvæ prima radicatione, paulatim ita quæ prius genita ſunt dilatat, atque in longitudinem producit, tum augendo, tum in unum paulatim cogendo tenuiora ad latiorum procreationem. Ac vaſa quidem, & membranas ita gigni veriſimile eſt, ex ſemine tum prima conſtitutione, quam reliquo in longitudinem, & latitudinem incremento accepto, quemadmodum in arboribus videmus ex eodem trunci origine reliqua, & in altum ſubiici, & in ramos diſcindi.*

Quæ verba Galeni apertè declarant generationem in Utero procedere arborum adinſtar, quæ elongando, & protrudendo propriam ſubſtantiam in arboreas plantulas ſibi conſimiles erumpunt: Hinc alter aperitur aditus ad intelligenda obſcura illa,

illa, & enigmatica Hipocratis oracula in lib. de aliment. ubi ait: *Conſentientia omnia in omnium membrorum compage, omnia: In parte verò, partes in unaquaque parte ad opus*: Deinde pergit: *Principium magnum in ultimam partem pervenit*: *Ex ultima parte ad principium magnum pervenit*: *Una natura eſſe, & non eſſe*: Quæ ſi ſedulò applicentur ad ſequentem generationis explicationem, erunt plana, & palpabilia, quamvis magnam præſeferant obſcuritatem.

Quibus præliminaribus, & luminaribus poſitis pro veriori generationis fundando ſiſtemate, in arenam deſcendo, & aſſero, quod virile ſemen in Uterum ejaculatum ab interiori ipſius Uteri ſubſtantia excipitur tanquam in proprio tellure, imbibitumque retinetur per multos dies, adeo ut ex Harvei repetita obſervatione in Cervarum, & Damarum Utero poſt coitum nullo modo obſervetur, donec ſufficienter madefacta, ac emollita interiori Uteri ſubſtantia à ſubtiliori ſeminis parte concitantur in motum, actuantur, ac explicantur ultimæ Uteri fibrarum, & vaſorum deſinentiæ, quæ incipiunt ſe elongare, extendere, ac diramari juxta ſeminalem directionem, proindeque animalium prima ſtamina contexere, componere, & per varias retiformes plicaturas modo capitis plexus, cordis, pulmonis, hepatiſque conſtruere, modo glandulas, ac vaſa excretoria conglomerare, & membranas expandere, alimento ſibi proprio, & neceſſario ſuſcepto pro partium diſtenſione, dilatatione, & aumento primo ab ipſa feminum materia, deinde à ſanguine menſtruo in Uteri ſubſtantia percolante, & per truncum venoſum, & arterioſum ad fœtum delatum, & relatum.

In hac itaque fibrarum textura interponitur Maris,

ris,& Fęminę genitura, quę tanquam tinctura eſsétialis totius corporis replet,ac delineat ſitus,figuras, colores, & magnitudines, ac paulatinè laxatis, ac dilatatis meatulis frugalior ſuccus excurrit, fœtuſque articulatur, figuratur, augetur, & ingrandeſcit, donec à fœcundatæ Genitricis trunco tanquam maturus fructus ſponte ſua decidat ad lucem.

Si res ita non eſſet, Uterus poſt nonnullos dies ab ejaculato ſemine non fieret mollior, & carnoſior, & craſſior, non protuberarent quinque carunculæ, quibus conceptus totidem in locis copulatur, & adnaſcitur, nec fungoſa caro luxurians excreſceret, proindeque foras haud protunderent arteriarum, venarumque capillamenta, ac minime progerminarent muccoſa quædam filamenta aranearum telæ ad inſtar à cornibus Uteri, ut obſervavit ſupracitatus Harveius, & meis oculis in variis animantibus vidi hic Romæ, ubi Medicinam colo.

Ita etiam hæc noſtra ſententia emicat in illa recenſita Hipocratis effluxa genitura, ſiquidem interior membranula, in qua pellucebat interior humiditas facta fuit ab illis filamentis aranearum telæ ad inſtar,quæ ex cornibus Uteri procedunt poſt fœcundationem, & chorion conſtituunt, ita pariter fibræ illæ albæ ſanie craſſa, & rubra involutæ ſunt interioris Matricis ſubſtantiæ vaſorum, fibrarumque exortus cum ejaculato ſemine intermixtæ, ac per choreas Pſaltatricis ſepties repetitas immaturè interciſæ, ac violenter decuſſatæ.

Quæ proximiùs perſtringens Galenus primam radicationem exprimit in Vulvæ orificiis, & prius ex illis genita dilatari inquit, ac in longitudinem produci, tum augeri, tum in unum cogi, donec tenujores fibræ, vaſa, & membranę deveniant ad

la-

latiorum procreationem. Venæ enim umbilicales verſus fœtus tendentes, dum coeunt in alias majores deſunt, & ulterius progreſſæ ad alias majores, tandemque duos truncos conſtituunt, qui ſimul juncti ſanguinem in venam cavam, & portam regerunt; eadem paræmia militat in arteriis, aliiſque uterinis fibris fœtus texturam componentibus: Ideo pergit citatus Galenus, *Vaſa, & membranas ita gigni veriſimile eſt, incremento* (non autem exortu) *accepto à ſemine tum in prima conſtitutione, tum quando in longitudinem, & latitudinem abeunt, quemadmodum in arboribus videmus, ex eadem trunci origine reliqua, & in altum ſubiici, & in ramos diſcindi*. Si igitur ex interna Uteri ſubſtantia ortum ducunt fibræ, membranæ, venæ, & arteriæ, cum quibus conceptus ibi ſcaturiens involuitur, & præmunitur, cur adhuc dubitare debemus, quin fœtus ſit vera Uteri germinatio, & veluti plantula, alteri plantæ adnaſcens?

Non videmus, adnaſci in carnibus juxta prius impreſſa ſemina Verrucas, callos, polipos, lupos, nactas, aliaquę ſimilia, ipſaque vegetare, & communicata partium, quibus infixa ſunt, extenſione, creſcere, & nutriri? Quid ergo repugnat, quin ex fœcundatá alvo non elongentur, ac extendantur ejuſdem componentia pro fœtus molienda formatione? dum conſpicuè videmus poſt ſeminis prolificationem in animantibus internam Uteri ſuperficiem turgeſcentem, ac ex ipſis Uteri cellulis protuberantes globulos, ſeu tubera quædam, quæ fere totam uteri cavitatem occupare, ac ejuſdem latera ſeſe mutuo tangere videntur? Signum evidens, quod vaſorum, & fibrarum Uteri terminationes incipiunt mediante ſeminis emollitione, ac extricatione ſeſe explicare, extendere, ac dilatare

re

re pro corporea animalium contexenda ſtructu[illegible]

In hoc ſenſu ſermocinatus fuiſſe videtur Plato, quando generationem docuit fieri, cum prinpicium, capto incremento, ad ſecundam pervenit translationem, & ab hac in proximam, ita enim uterinæ fibræ tanquam principium, capto à ſemine incremento, ad ſecundam perveniunt translationem, nempe ad fœtus formationem, ſicut fieri videmus bombicem ex minimis fibrillis, & filamentis diverſo, varioque modo contextis.

Et revera quid enim aliud eſt corpus humanum, niſi faſciculus unus fibrarum vario modo contextarum, & mirabile involucrum plurium vaſorum ſibi invicem correſpondentium? proptrea magnus Hipocrates ſcriptum reliquit, *conſenſus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia*; quo oſtenderet harum fibrarum inter ſe connexarum opificium pro conſtruenda organica corporum ſtructura, & mutuam inter ipſas in his plexibus correlationem.

Quod ſi magis perſpectum habere velimus, ne pigeat inter Recentiores perpendere Sennertum lib. 1. cap. 10. de generatione, ubi hæc habentur. *Primo enim conceptus tempore tres quaſi bullæ ſpiritibus turgentes, quæ cerebri, cordis, & Jecoris ſunt rudimenta, & innumera fere filamenta, quæ venis, nervis, & arteriis originem præbent, & ſolidarum partium quaſi ſtamina ſunt, apparent*. Si igitur primis conceptus diebus apparent tres bullæ, & innumera ferè filamenta, & quid enim aliud portendunt tres illæ bullæ ſpiritibus turgidæ, niſi fibrillarum, & vaſculorum retiformationes minima, & tenella fœtus rudimenta incohantes in principalibus organis? Quid innumera illa filamenta, niſi aliarum membranularum, & vaſculorum ſanguiferorum primi ex Uteri interna ſubſtantia oxortus?

De qua Uteri progerminatione ſi adhuc dubium remanet tibi Lector, perpende primo internam Uteri mutationem præteritis à coitu nonnullis diebus, ut antea præmonuimus, tam circa vaſa uterina, quæ plura, & conſpectiora apparent, ut videantur ex ſingulis cotyledonibus, & favis ſub muccore pullulare plures ſurculi, ac capillares vaſorum ramuſculi, quam circa conceptum in utrolibet Uteri cornu quinis carunculis, totidem in locis, copulatum.

Secundo perpende clariori viſione in adaucto fœtu membranas amnios, & chorion ex Uteri tubis prodeuntes, venas, & arterias umbilicales; Venam inquam, quæ venæ portæ matris propago uſque ad umbelicum ſimplex eſt, ubi autem umbelicum permeavit pro ſanguinis ſuperflui reaſſumptione, in duos ramos bipartitur, atque hi in alios, qui membrana, quæ chorion dicitur, atque in primis placenta illa carnea, quæ in ea eſt, ſuffulti cum venarum Uteri oſculis coeunt. Arteriæ vero duo rami iliaci deſcendentis aortę propagines ſunt, per quas ſpirituoſum ſanguinem, ac ſimul nutrimentum ducit Infans, non abſimili modo, quo arborea pullulans proles ex trunco ſuæ matris per propria vaſcula alimoniam ſuſcipit, per quam nutriatur, & creſcat.

Omnem denique dubitationem adimit conſideratio illa jam allata, & toties per Harvejum repetita, quod nimirum in Utero poſt integrum ferè menſem à coitu nihil prorſus ſive ſeminum coagulationis, ſive conceptus, ſive prætenſorum ovulorum ad Uteri capacitatem delatorum rudimenti apparet, quod clarum indicium eſt, ſeminalem materiam latere, atque includi in internis Uteri poroſitatibus, ſeu plicaturis pro emollitione, ac explica-

plicatione ejuſdem fibrarum, quæ tam miro naturæ artificio texuntur, ac implicantur pro fœtus formatione.

Nam ſi res aliter ſe habet, quo rogo abiit genitura illa? forſan evanuit! ſed quo tandem, & cur immiſſa? Num effluxiſſe ex Utero, aliquis credet? ſed quomodo effluxit, ſi perſpicuum conceptionis ſignum eſt ipſa geniture retentio? Fortaſſe ingreſſa eſt in ſanguinem, vel delata ad muliebres teſtes? ſed ubi patent viæ, & unde delationis modus? Tanto fortius, quod ſi ſupponimus ſubſtantiam ſeminis eſſe ſpirituoſam, eſt quoque tamen tenax, ac viſcoſa, & per conſequens nec evaneſcibilis, nec facilè apta ad cæcũ ingreſſum. Quo poſito concludere certè licet, generationem in hypotheſi Recentiorũ mediantibus ovulis à ſemine irradiatis, & ad Uterum deciduis, ſive Antiquorum prævia ſeminum coagulatione, eſſe omnino fictitiam, & à veritate alienam, dum per experientias reiteratas in Utero tot animalium per plures dies à coitu nihil prorſus apparet; Et vera viceverſa noſtra erit aſſertio de propoſita generatione per ſtaminum ex Utero elongationem, & propagationem.

Semen igitur non ovaria, non Uteri cavitatem fœcundat, ſed Uteri ſubſtantiam ſubit, prolificat, atque emollit, propterea aliquibus tranſactis diebus Uteri membranæ craſſeſcunt, humeſcunt, turgeſcunt, ut non abſimiles tactui medullæ cerebri ultrò aſſerat Harvejus; Hinc non mirum ſi poſt ludum venereum Uteri parietes adſtringi, & quaſi coaleſcere videantur, ex eo quia vaſorum elongatorum propagine turgeant, fibriſque gliſcentibus, Uteri abbrevietur capacitas.

Quomodo autem juxta noſtram hypotheſim experientiæ innixam initium ſumat generatio, non

P 2 diffi-

difficili modo explicatur: Siquidem ejaculato ſeſemine intra Uteri vaginam, internam Uteri ſubſtantiam ſubit, quæ in tali perfuſione quaſi ſi eſſet vellicata perhorreſcit, fibras contrahit, ac ſtrictè amplectitur ſemen, qui horror vibrat, ac tremulat per continuas corporis partes ſenſitivas uſque ad cerebrum, à quo copiam majorem fluidi nervei ad Uterum prolectat: Hinc per ſeminis ſubſtantiam, mollem, & ſpirituoſam ultimæ contracti Uteri fibrarum, & Vaſorum deſinentiæ, ſeu terminationes molleſcunt, indeque majori niſu explicantur, ac interiori impetu adaucto ab arteriis pulsātibus, ac ſpiritibus illuc à cerebro appulſis magis, magiſque fibræ, & vaſa Uterina extenduntur, elongantur, pro intexendo tenelli fœtus corpuſculo, donec tandem ejuſdem ſuperaddito motu deſinant in maturũ Uteri fructũ, qui, ut omnibus INCREDULIS ſe oſtendat, nodo quaſi umbilicali Parētis trunco adhæret, unde quid mirum, ſi maturus tandem ſponte ſua decidat. Quippe enim fibræ Uterinæ jam elongationem illam ſibi conceſſam juxta ſtaturam, Parentum, & ſeminum activitatem nactæ ſunt; Unde cum amplius nequeant elongari, reliquum eſt, ut obtruncentur, quemadmodum extenſa chorda tenditur, quo fieri poteſt, indeque majori, ſicuti in Utero, facto conamine, abrumpitur.

Hinc eluceſcit arcana illa ratio, quod Fœminæ, prolifico ſemine recepto, magnam in Utero perſentiant commotionem, ac divulſionem, tunc quando vaſorum Uteri deſinentiæ emollitæ, ac extricatæ incipiunt ſeſe elongare, ac propagare: Propterea Magnus ille Galenus, cui tantopere Reſpublica Medica debet, lib. 1. de ſemine cap. 2. narravit: *Dixerunt enim mihi Mulieres, ubi ſemen conceperint, quandam ſe in vulva motionem ſentire,*

quæ

quæ quaſi convellat. Poterint ne unquam clarioribus terminis noſtræ generationis exordia explicari, quam his à Galeno prolatis verbis? quod quam cohærenter cum veritate ſe nubat, manifeſtatur ex ſe à definitione motus, *qui eſt tranſitus termini à quo ad terminum ad quem*, ac ab explicatione verbi *convellere*, quod juxta Marium Nizolium idem eſt, ac dicere exradicare, radicituſque extrahere; quod ſi rectè adæques cum ſupra præfatis, majori non indiget dilucidatione. Sed tantummodo in appendicem adnectere lubet Galeni obſervationem in citato loco, quæ dictæ commotionis effectus ad fœtus progerminationem tendentis oſtendere videtur: *Compræhendi*, inquit, *prægnantia animalia, ac ſeriatim diſſecui, in quibus omnibus Uulva fœtus prorſus cohærentes cernebantur ſive majores, ſive minores, ſive penitus parui extitiſſent*. Si igitur fœtus vulvæ prorſus cohærent per minimas fibrillas, & clarioré radicationé, ſeu potius progerminationem obſervamus in membranis chorion, & amnion ex Uteri tubis prodeuntibus, nec nō ex venis, & arteriis à vaſibus ſanguiferis maternis prolungatis, & propagatis, quid adhuc ambigere debemus, quin generatio ſit fibrarū è Parentis trunco propagatio mediante ſemine, & veluti viventis in actu eductio ad viventem in potentia.

Videtur denique congruum, has fibrarum, & vaſorum ramificationes, & extenſiones poſſe in corpus coaleſcere eadem ſervata ſymetria, & proportione cum corpore originali, à quo promanant, maxime quia ad hoc peragendum, dirigi quodam modo poſſunt à ſemine per illam ſignaturam, & delineationem partium acquiſitam per circulationem in ipſis factam, à qua poterunt facilius determinari in partes humano fœtui correſpondentes,

Digitized by Google

quam in alias à fibrarum, & ſeminum delineatione alienas, ut præſcriptas obſervent Creatoris leges: *Creſcite, & multiplicamini*, dum in ipſarum adimplemento in noſtra hypotheſi creſcunt revera Uteri fibræ, & multiplicantur, tanquam arborum radices in contexendo humana corporis ſtamina, donec ultima fibrarum terminatio deſinat in formatum fœtum, veluti maturum ventris fructum.

His inde fibris Uterinis, venis, & arteriis reſiccatis in ſenectute inhabilis redditur Mulier ad prolificandum, viceverſa in florida Juventute vegetæ, & robuſtæ exiſtentes à virili ſemine madefactæ facile conceptionem, & fœtus generationem promovent. Per quam theoriam veris innixam principiis facilè Medico erit, Uteri intemperie cognita, per varias injectiones, ſteriles ſanare Mulieres.

Remanet denique difficillimum illud ſolvere dubium, per quam rationem Mulieres Utero gerentes modo mares, modo fœminas in lucem edant, pro cujus diſſolutione ſciendum eſt, quod utriuſque ſexus genitalia eadem numero ſunt, & ſolum differunt, quod in Viris teſtes, & penis foras propendent, in fœminis verò teſtes, & clytoris intra abdomen reconduntur, & inverſa cum collo matrix quandam cum pene, & ſcroto ſimilitudinem ſortiri videtur; Propterea Galenus lib. 2. de ſemine cap. 5. hæc habet: *Omnia igitur genitalia membra eadem eſſe in maribus, & fœminis videntur, niſi quod differunt vel ſitu, quod hæc intra, illa vero extra abdominis membranam collocata ſunt, vel magnitudine quemadmodum de præputio, & teſtibus*, & reliqua magis diffusè videre ibi poterit curioſus Lector; ſed non exinde Ariſtoteli aſſentiri eſt animus, qui ex accidenti fœminam eſſe, dixit, nam perfectiſſima eſt in genere ſuo, & æquivalenter ad hominem in illa

reſul-

refulget admirabilis ſapientia Divini Conditoris, qui in ſua æterna intelligentia ita præordinavit. Quo poſito, generationem modo maris, modo fœminæ evenire dico ex majori, vel minori virium momento pendente vel à valida, & robuſta fibrarum energia, & ſpirituoſiori ſeminis indole, vel à minus valida fibrarum exiſtentia, minuſque elaſtica, & ſpirituoſa ſeminis materia, ideo dicebat Galenus à calidiori temperamento mares, à frigidiori vero fœminas procreari; ita tamen præordinante ſummo naturæ Authore.

Siquidem in calidiori temperamento fibrarum plexus magis validus, & vegetas ſi fuerit irradiatus à ſpirituoſis ſeminis particulis, magis internè elongatur, atque extenditur, & per majorem virium impetum foras progrediuntur penis, & teſtes, indeque mares generantur: In frigidiori verò temperamento fibræ torpidæ ſunt, & pigræ, ac à frigidis, acidiſque humoribus irretitæ parum ſe expandunt, parumque creſcunt, propterea ceſſante impetu, & fibrarum extenſione, teſtes, ac clytoris haud foras progrediuntur, hinc fibræ decurtatæ inferiorem abdominis partem non claudunt, & vulvam ſic dictam conſtituunt, ac ita evenit generatio fæminarum.

Quamvis etiam probabiliter cum Hipocrate credere liceat, evenire poſſe ex prævalentia geniture ſive maris, ſive fæminæ, cujus ſpiritus movere poſſint tenellas uteri fibras ad illam partium configurationem juxta prototypum, & ſignaturam delineatam in ſemine, quod habet prædominium, & ſupereminentiam, & per hanc prævalentiam procreare modo mares, modo fæmellas.

Cæterum ſi credas benigne Lector, hæc omnia fieri poſſe ex naturæ viribus, & nô ab increata illa ſuperna Intelligentia cauſas ſecundas movente

 (ſit

(ſit verbis venia) dementia magna teneris, nam quo perfectior omni re creata humanus eſt fœtus, eo ſpecialiter concurrit, ut ſatis ſuperque enunciavi in paragrapho quarto: Ideoque magnus Plato dixit, hominem eſſe plantam Divinam, cujus capillos Cęlum verſus proſpicere radicū ad inſtar, reliqua membra, ut ramos terram intueri, non alio conſilio, quam ut è Cælo lapſum eſſe, recordetur, cui alludens Poeta canit,

Igneus eſt illi vigor, & cæleſtis origo;

Undè loquens Deus Creator per Cythariſtam, pſal. 18. hanc hominum cæleſtem originem manifeſtavit, dicendo: *Ego dixi, vos Dii eſtis, & iterum filios genui, & exaltavi*. Quæ ſanè verba vellem, omnium Philoſophorum mentibus eſſe inſerenda, ut de humana generatione magis ſanctè loquantur.

Tandem in appendicem hujus opinionis circa enunciatum noſtræ generationis ſpecimen contemplandum remanet, in confeſſo eſſe apud claſſicos Anatomicos, quod fibræ per ſe conſideratæ corporis contextum conficiunt, & modo in carnes emolliunt, modo in tendines, & ligamenta compinguntur, modo in membranis expanduntur, modo indureſcunt in cartilagines, modo tandem conſolidantur in oſſa; quarum fibrarum progerminationem in utero, ut lydio lapide probatum eſt, poſt aliquot fæcundationis dies ocularis experientia teſtatur, hinc in textura incipientis fœtus per arteriarum impulſum, & quo magis ille creſcit, per gravitatē molis fibræ extendūtur, elōgantur, intexuntur juxta fœtus indigentiam, donec abſoluta ejuſdem fabrica, abrūpantur, fœtuſq; adveniente maturitatis tempore, cum repetito propulſionis conamine ad lucem prolabitur, & hæc pro præſenti in re tā ardua dicta ſint ſatis, majora fortaſſe dicturus, cū Antagoniſta conſurget, & jacta ſpicula in me retorquebit.

PETRI ANGELI PAPI
Medici, & Philoſophi Sabinenſis.

TRACTATUS III.

De Sacra Recentiorum Philoſophorum, & Medicorum Critica ſupra anima ſenſitiva Brutorum, ſupra anima rationali, ejuſdemq; facultatibus, ac tandem ſuper humana vita, multiſq; eorumdem erroribus.

PROOEMIUM.

SI in ſequenti Tractatu argumentorum ſpiculis vos amatiſſimos Recentiores pungo, ut compungam, vulnero; ut ſanem, non temerariæ audaciæ, & cavillationis deſiderio, hoc tribuere, rogo, dum illud proverb. 27. adimpleo: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudolenta oſcula blandientis*. Hucuſque contra vos digladiatus ſum circa primam rerum creationem, circa elementa, veſtraſque particulas, & chimica principia rationibus validiſſimis reieci, humanam generationem ex ovis fabulam eſſe præmonſtravi, veriuſque generationis ſpecimen exhibui, tot, tantoſque errores, & abſurditates in philoſophia recenter irreptas exprobare, & confutare conatus ſum; modò igitur ne vobis diſpliceat, ſi materialibus diſcuſſis corporibus, ad ſpiritualia tranſitum faciam, ut prioribus cum ſequentibus annexis, in Chriſtiano tellure implantetur vera nova dogmatica philoſophia. Et primò in arenam deſcendendo, contra Carteſianos probabimus, dari in Brutis animas ſenſitivas.

Scru-

Digitized by Google

SCRUTINIUM I.

De Animæ ſenſitivæ Brutorum exiſtentia, & de abſurdis contradicentium.

ADeſte hùc Philoſophi Carteſiani Legrand, Regius, Pejerus, Blancardus, cæterique de Carteſianorum familia, qui etiam his noſtris temporibus Carteſianos renovatis errores, & æquas animalium inſtantias pro reintegratione ad poſſeſſionem ſuarum animarum, nunc auribus percipite. Immenſus Deus Creator ſua ineffabili bonitate anima, corporeque mortali voluit eſſe conſtituta animalia, quæ eſſent veluti tenues rationalis hominis ſimilitudines, modicumque veſtigium hujus maximi Terræ Coloni præſeferrent, quemadmodum vivæ vocis echo, imago eſt, & ſimulacrum, ſemper analogiſmo procedens de creatis perfectis ad perfectiora, & de perfectioribus ad perfectiſſima, ſicuti eſt homo.

De hac veritate plenam fidem facit Sacra Geneſis, in qua habetur, *producat terra animam viventem. Producat aqua reptile animæ viventis, creavitque Deus Cete grandia, & omnem animam viventem. Quæ moventur in terra, & in quibus eſt anima vivens.* E quibus apertiſſimè patet anima ſenſitiva, & vivente prædita eſſe animalia; ſi igitur ſacræ Geneſis teſtimonio animam habent animalia, cur vos Carteſiani Philoſophi illa veluti artefactas machinas, horologia, & ſimulacra putatis?

Non hęc profecto vos docuit D. Baſilius in adductæ Geneſis explicatione, ubi dicit; *jubetur terra, animam viventem producere, ut oſtendatur, animam vitalem Brutis ineſſe, quæ cum corpore diſſolvatur,* ut etiam

firmat

firmat Zanchius in explicatione operis ſextiduani lib. 7. cap. 1.

Non inquam vos docuit D. Gregorius 3. Moralium, qui ait, *tres vitales ſpiritus creavit omnipotens Deus, unum, qui carne non tegitur, ſcilicet Angelorum, ſecundum, qui carne tegitur, & cum carne non moritur, tertium, qui carne tegitur, & cum carne moritur, ſcilicet Brutum*; cujus indè ſpiritus, ſive anima vivens vocatur à Cardinale Hugone in Geneſi *potentia vivendi à Deo data*; propterea Bonellus dicebat in turba Philoſophorum, omnia vivunt, & moriuntur ad nutum Dei Creatoris, quo poſito, temerarium eſſe videtur, animam vivendi potentiam Brutis à Deo conceſſam, denegare.

Quapropter Antonius Goudin Ord. Prædicat. quæſt. 1. phiſic. art. 3. de principiis in communi, poſtquam diruit Philoſophiam Carteſii ex ruinis Epicuri repullulantem, defendit, animalia habere animam ſenſitivam, nec eſſe inſenſibilia naturæ artefacta, ut blaterant Carteſiani, ac propter animam affici voluptate, dolore, odio, & amore, quamvis forinſecùs tantum ea ſigna edere animalia dicant, veluti horologia, quæ ſignant horas, & eorum ſucceſſiones non cognoſcunt, haud abſimilia ſimulacris, quæ modo ridentis, flentis, timentis, amantis ſpeciem referant. Unde concludit, eſſe has aſſertiones contra Sacram Scripturam, quæ paſſim cognitionem tribuit animantibus, & perceptiones voluptatis, & doloris, perfectionemque detrahere operibus Dei, quaſi ut non potuiſſet vitam ſenſitivam, & aliqualem cognitionem ſibi beneviſam animantibus largiri.

Quippe ſi verum eſſet, forinſecùs tantum edere animalia ea ſigna abſq; interno principio, ſicuti horologia, & ſimulacra, eadem parœmia poterit quiſ-

que

que fingere homines abſque interno rationis principio operationes nobiliori edere modo, veluti horologia, & ſimulacra vita, ſenſuque carentia, quod quantum elongetur à recto veritatis ſenſu, unuſquiſque compos mentis dignoſcit. Cum igitur ſint animalia creata cum oculis, auribus, aliiſque organis ad ſenſus edendos, ita per conſequens habent animam ſenſitivam. Simulacra vice verſa ſunt manufacta cum oculis, auribus, & manibus, ſed de illis verificatur, quod Cythariſta de Idolis canebat: *Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, manus habent, & non palpabunt.*

Et revera animalia ſigna doloris exprimunt, & gaudii, amoris, & iracundiæ, nam quis non videt, quanta feſtivitate canis circa ſuum Dominum ſe appropinquet, quibus clamoribus percuſſus clamet, & ullulet, qua memoria teneat offenſiones; quas actiones refundere ad molleculas, rotas, & machinas horologiorum ad inſtar, ridiculum porrò mihi videtur, & ne audax appareat noſtra aſſertio, pro praxi adducamus in exemplum canem, & machinam, & aliquantiſper conſideremus differentiam.

Machina eſt compoſitum arteficioſum ex molleculis, rotis, aliiſque partibus, quod ab elatere aeris commotum una pars alteri ſuum motum communicat, quam rem evenire, ne tamen credas, ubi partes non ſunt tenſæ, & rigidæ, ita ut mota una ab uno capite correſpondeat alteri. Canis verò faſciculus eſt fibrarum, venarum, & arteriarum inter ſe variè contextarum mollium, & flaccidarum, ut illarum pulſato principio, alteri extremo ſuum motum non communicet; quibus prænotatis, vocamus ſub quocunque nomine horologium, non tamen accedit, blandimur illi, manet immobilis;

incu-

incutiamus terrores, non aufugit, non timet. Vice verſa vocamus canem, feſtinanter currit, ſi blandimur, gaudet, dimovetque caudam, ſi minamur, aut fugit, aut ſubmittitur, & hęc omnia nonnè arguunt principium internum ſenſitivum cum tali facultate animantibus à Deo inditum, quando creavit omnem animam viventem? Num hujuſmodi ſenſationes refundere poſſunt Carteſiani in fibrillarum undulatione, & tremore uſque ad ſuum principium? Si canis fibras molles, & flaccidas reſonare non poſſe, ſupra præventum eſt, & ſi reſonarent, non exindè ſentirent.

Sequeretur ulterius abſurdum, quod ſi moverentur animalia ſola vi organorum, & ſtructura, anima rationalis in homine non eſſet principium omnium motionum, & actionum, ſed ipſa corporis organica ſtructura, ſicuti ſe habet in animantibus, eo quia ſtructura corporis partium eadem eſt cum Brutis, aut parum in eſſentialibus differt, & conſequenter hominis motus, & principales actiones non dependerent à voluntate animæ imperantis, & movētis, ſed provenirent ab intrinſeco per vim, quę reperitur in ſtructura corporis; horologiorum, ſive columbarum, ſive volantium muſcarum ferro, lignoque fabrefactarum ad inſtar, ſicuti provenire dicunt in animantibus ex mechanica corporis ſtructura, ac ita homines per Carteſianos erunt tot horologia, & abſque anima motus principio, movebuntur. Et ne videatur illatio cavilloſa, vel nimis aſpera, adeamus queſò Blancardum de Carteſianorum ſecta Inſtit. Medic. cap. 29. de animæ operibus, ubi legere eſt. *Vitam non dependere ab anima rationali, cum corpus inſtar horologii aquatici, ſeu hydroauli moveatur*, quæ ineptia quam oppoſita ſit Oraculis Sanctorum Patrum, videbitur clarius

in

in capite de anima rationali.

Convincit irrefragabiliter hos Animæ Interfectores D. Auguſtinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 15. ubi aſſeritur: *Dolores, qui dicuntur carnis, animæ ſunt in carne, & ex carne*, & deinde ſequitur. *Dolor carnis tantummodo offenſio eſt animæ*, ex quibus infertur, quod ſi animalia, ut apud omnes eſt in confeſſo, ſentiunt dolorem, habent animam ſenſitivam in illis à Deo concreatam, cum dolor ſit animæ offenſio, & refundi non poſſit in pura machina. Autenticat inſuper citatus D. Auguſtinus hanc propoſitionem lib. 21. cap. 3. *Certum eſt*, inquiens, *vivere omne, quod dolet, doloremque non eſſe, niſi in re vivente*; ſi ergo ſigna doloris, & mæſtitiæ edunt animalia, hæc non à machina, non ex ſtructura, quia non vivit machina, non vivit ſtructura, ſed ab anima dolorem provenire auſpicandum eſt, quoniam (pergit D. Auguſtinus) *ita eſt anima connexa corpori, ut ſummis doloribus cedat, animæ enim dolere non corporis, quamvis doloris cauſa exiſtat in corpore, cum in eo loco doleat, ubi læditur corpus, cum ab anima ſit corporis ſenſus, & vita*; quapropter Platonicorum ſententiam rejiecit, qui aliter aſſerebant, quæ aurea D. Auguſtini ſententia æqua lance librata ſatis omninò eſt ad convincendos quoſcunque Adverſarios.

Qua de re inter Recentiores laude dignus eſt Paſculus, qui in ſua anatome vulgari par. 2. cap. 1. diſſerens de hac animæ exiſtentia, ſe neſcire, ajebat, concipere, quomodo organum purè corporeum ſine alicujus formæ unione in totum diverſa, & aliena à combinatione mechanica minimarum fibrarum, & fluidorum poſſit perſentire aliquem dolorem, quia poſſet concedi, quod organa carnea mille modis, & variis machinamentis intexta valeant

leant ſe moveri ad actionem agentis ſenſibilis, ſed fateri cogimur, ſentire dolorem, eſſe ſupra vires corporis ſtructuræ. Agitentur quippe fibræ, contremiſcant nervi, ſuiſque vibrationibus feriant quamcunque cerebri partem, quod ſi anima ſenſitiva hæc non percipiet, ſenſus doloris non fiet.

Nec ex Galeni authoritate objiciatur, dolores exoriri ex incommoda, adverſaq; particularũ motione, quia hanc particularum adverſam motionem nequit percipere, niſi anima ſenſitiva, ad differentiam rerum inſenſibilium, quæ utcunque lacerentur, divellantur, nullum tamen doloris ſenſum præſeferunt. Quapropter hanc periodum concludere debemus, quod ſi animalia ſenſus doloris habent, multoſque actus edunt humanis non abſimiles, & à forma humani corporis provenientibus, ideo pariter in Brutis promanare debent ab inferiori forma conditionis licet caducæ, & mortalis, aliàs ſi in puris authomatis Animalibus refunderentur, inferre poſſent blaſphemi, etiam in homine hujuſmodi actus ex vi mechanicę ſtructurę nobiliori artificio fabrefactæ (ut jam perperam dixit Spinotius Atheiſta) promanare, ac ita rationalem animam pedetentim in exilium mittere. Cavete ergo Lectores, quia multæ hæreſes clanculariæ latitant in ſententiis Recentiorum, & abnegatio animæ in Brutis negationem animæ rationalis in homine radicaliter involvit.

Nec ſecuram mihi videntur tueri opinionem Recentiores illi, ut Gometius, Pereira, Gaſſendus, Honoratus Fabri, Thomas Vvillis, Duhamel, & alii qui hanc animam ſenſitivam putant eſſe flammam, ignem, vel igneæ naturæ, ut primo Zeno cum Stoicis voluere, quia coincidunt cum Carteſianis, qui omnes animalium motiones, & ſenſationes ex rotun-

rotundis, & ſummis volatilibus particulis fieri contendebant, & unico verbo, deducta vocabulorum larva, ex igne, qui hujuſmodi rotundis particulis conſtare creditur, quamvis Plato piramidales dixerit. Minuſque probabilis videtur alia Recentiorum ſententia, qui communes atomos in corpus tali modo coaleſcentes, vel ipſos ſpiritus, vel talem armoniam reſultantem ex quatuor elementis, vel aliis corpuſculis componentibus, ſeu quinctum ſpeciale elementum, ut Magnanus, animam eſſe voluerunt.

Quia Duce Ariſtotele lib. 2. de generat. animal. cap. 3. *omnis animæ potentia corpus aliud participare videtur, idque magis Divinum, quam ea, quæ elementa appellantur*, quam aureis verbis Cicero Pater Romanæ eloquentiæ in Tuſculanis differens de animis in genere, explicat cum ſequentibus: *Animarum in Terris origo nulla eſt, nam nihil eſt in animis miſtum, atque concretum, quod ex terra natum, aut factum eſſe videatur, nihil humidum quidem, aut flabile, aut igneum, his enim in naturis* (arrigite rogo aures, ò Recentiores) nihil ineſt, *quod vim memoriæ, mentis, cognitioniſque habeat, quod præterita teneat, & futura prævideat*. Vidiſtis ne unquam, ò animarum Carnifices aliquas particulas, ſive atomos ſimul agglomeratas vivere, ſentire, memoria tenere? Vidiſtis inquam molem, figuram, motum vigilare, dormire, dolere? Si ergo nullum ſenſationis in his apparere videmus veſtigium disjunctivè conſideratis, num ex his conſtructa corpora ſenſationum, & actionum formalitatem acquirent, ſi nemo dat, quod eſſentialiter non habet?

Herculeum conſimilis theoriæ contra Carteſianos militat Scaligeri argumentum: *Eſt*, inquit, *in animæ poteſtatibus, quod nunquam fuit in poteſtatibus*

ele-

elementi cujuſpiam, at nihil eſt in quapiam re, quod non fuerit actu in ſuis principiis, principia namque ſunt actus eorum, quorum ſunt principia, aſt in anima eſt facultas ad movendum antrorſum, retrorſum, dextrorſum, ſiniſtrorſum, quod in elemento nullo, & alia quoque longè illuſtriores ſunt animæ potentiæ omnibus notæ, quæ non ſunt in elementis, ergo brutorum animam ſtatuere elementarem, non arridet Apollo, quæ verba ſunt adeo clara, & convincentia, ut ulteriori non indigeant addictione.

Legite quesò mirabilia Brutorum exempla adnotata à Joanne Zahan in cap. 5. circa eorum capacitatem, religionem, aſtutiam, ſolertiam, fidelitatem, reverentiam, amorem, gratitudinem, & vindictam, & ſi ad igneam naturam, ſive variam materiæ modificationem vobis eſt animus adſcribendi, inſanire vos credam, cum in igne, & modificata materia, nullum harum actionum colluſtret veſtigium.

Non me latet, ignem conſtare poſſe ſubtiliſſimis quantitativis particulis jugi, & perenni motu agitatis, veluti ut anima ſenſitiva in continua actione, & motu verſatur, verumtamen quod notitiæ, & Brutorum actiones debeant referri ad ignem, vel ſubtiliorem ſanguinis partem, non mihi arridet, dum neque in igne, neque in ſubtiliori ſanguinis parte ullum adeſt principium ſentiendi, vel cognoſcendi (imperfecto modo) ſicut in brutis, licet quod anima ſit in ſanguine confirmari poſſit ex ſacris litteris Deuteromon. cap. 12. & Levit. cap. 17. ſed hoc intelligitur quo ad animæ brutalis conſervationem, non vero quoad ejuſdem eſſentiam.

Concipere enim abſurdum eſt, tot Brutorum ſenſationes, tot aſtutias, tot machinationes promanare poſſe ab igne, vel à ſola corporis confor-

matione, vel ab aliis materialibus principiis ſine ope animæ intus latitantis, quæ ſuperno præſcripto talia circumſcriptivè peragat: Cum materia nequeat eſſe capax perceptionis, ut notat Mangetus, & ſi dividatur in partes quantumvis ſubtiliſſimas quomodolibet figuratas, & moveatur motu perniciſſimo, recto, obliquo, circulari ſurſum, deorſum, ſiniſtrorſum, confusè, ordinatè, nihilo potius ad perceptionem accedet, quam ſi omninò iners, & quieta jaceret materia, quæ paſſivè ſemper ſe habet ad motum, aliter ſi ſenſus, & perceptio rei materiali concedatur, Atheiſtarum confirmatur error, qui animam rationalem, intellectum, & rationem materiales putant exiſtere.

Nec valet reſponſio Colberti Carteſiani Philoſophi, quod Deus potuerit taliter Brutorum machinam conſtruere, ac ſi ſenſu, & perceptione donaretur, quia debebat prius probare, quod Deus hoc fecerit, non quod potuerit, ut ejus argumentum energiam haberet, quando præcipuè ex adductis ſacris authoritatibus contrarium deſumitur, nimirum, quod Deus creavit animas in Brutis: *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem*. Geneſ. 1. quapropter aſſerere animalia carere anima, eſt apertè contradicere Sacræ Paginæ.

Si igitur hæc anima brutalis creationem habuit à Deo, nequit produci ab igne, à flamma, à ſpiritibus, à particulis ſubtilibus, ab armonia elementorum in tali corporum complexu, & ſtructura determinatis, (quod eſt maximum Adverſariorum argumentum) nam ſi omnia prædicta ſeorſim ſumpta nullum habent veſtigium ſenſus, & vitæ, nec minus poterunt vitam, & ſenſum habere in corporum compoſito per illam à Scaligero adductam rationem

rionem, nempe quod principia ſint actus eorum, quorum ſunt principia.

Tanto fortius, quod ſi eſſentia animæ eſſet ignis, cum ignis ſit celerrimi motus, & facile volabilis, quotidie animis exhinanita remanerent animalia, ſi eſſent eſſentia animæ ſpiritus ſive vitales, ſive animales, cum continuò deperdantur, & ab alimentis reficiantur, propter hoc cogerentur fateri Carteſiani, in ipſis herbis, plantis, & ſegetibus, quibus animalia veſcuntur, adeſſe facultatem ſenſitivam, & aliquo modo cognoſcitivam veluti reſidet in brutis. Si demum eſſent atomi, & particulæ, cum ubique reperiantur, omniaque ex ipſis componantur, ut putant Recentiores, etiam plantæ, & lapides ſentirent, cognoſcerent, & facultate cognoſcendi totus Univerſus abundaret, ut recenter tenent Gliſſonius, & Campanella, ſed à nullo ſano viro applauſu recepti, cum ridiculas nugas decantent, ac prædicent.

Itaque concedere conducit ſenſitivam animam in brutis per tot innumeros Philoſophos, & Theologos conceſſam, ne hac diabolica fraude, denegata anima brutorum, paulatinè animam rationalem denegare alliciantur, etenim ſi ea, quæ dixi, ſedulò quiſque perpendat, proculdubio animadvertet, hanc Carteſianorum ſententiam radicaliter involuere animæ rationalis internecionem, ideo Comes Jo. Roccheſter notorius Atheiſta, & Carteſianus Philoſophus adnotatus in ſerie noſtri tractatus primi, extremo ſuæ vitæ tempore pœnitens erroris exclamavit. *Stultam illam, & abſurdam Philoſophiam, quam tantopere Mundus admiratur, Authoribus Hobbio, aliiſque, ſe, alioſque optimæ indolis de Gente noſtra peſſum dediſſe.*

Qua de re vos moneo Recentiores Carteſii Pediſſe-

diſſequos cum D. Paulo ad Coloſs. 2. *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam*, & cum D. Hyeronimo in epiſtola 2. ad Damaſum Papam. *Philoſophia eſt Dæmonum cibus*, quod verificari de Recentiorum Medicorum Philoſophia, jam cum Perſenni authoritate præmonui in præfatione ad Lectorem ..Cœterum hæc eſt in rerum naturis catena neceſſaria juxta ſubalternarum regulam, ut ſpecies inferior ſimile quid habeat cum ſuperiori, ſic homo dicitur imago Dei, quo ad animam, & animalia analogizant cum homine, & ſicuti Deus longè perfectior, & perfectiſſimus eſt homine, ita homo longè perfectior eſt Brutis, cum homo intelligentem animam, immortalemque obtinuerit, Bruta verò caducam, inferiorem, & mortalem tamquam umbram, & ſimulacrum animæ rationalis, ac per conſequens ſi operationes Brutorum vi machinæ peraguntur abſque animæ adjutorio, ita pariter inferre poterunt de humanis actionibus, qui atheiſmo ſunt proclives, ac animæ rationali, vale, dicere quærunt, ut vivant in peſſimis.

Quamobrem credibile mihi videtur, Deum Omnipotentem in productione animalium cum anima vivente, illam præditam eſſe notitiis illis ad vitam manutenendam neceſſariis, quæ vocitantur ſub nomine inſtinctus naturalis, voluiſſe, eo quia tales notitiæ, ac ſagacitates oriri nequeunt à materia quomodolibet modificata, cum ſint ſupra vires elementorum, & cujuſcunque materiæ, & conſequenter dependent ab anima ſenſitiva, quam tamen ita materiæ corporeæ immerſam eſſe confitemur, ut ſine ipſa nequeat, & deſinat operari, ad differentiam animæ rationalis, quæ ſine corporeis organis ſuas edere valeat nobiliſſimas operationes, quia anima rationalis eſt ſubſtantia completa; ſenſitiva

vero

verò brutorum eſt ſubſtantia incompleta ſe gerens in ipſorum corporea machina tamquã principium vitæ, & ſenſus, concludendo præcipue, quod hæc ſubſtantia non eſt de natura ignis ex allatis rationibus, ut antiquitùs Stoici putabant, quibus hodie tot adnotati Recentiores adhærent, quia lacrymabilem credulitatem Zenoiſtarum revocaremus ad lucem, qui eodem modo animas noſtras igneas eſſe credebant, ac in aquis (proh dolor!) extingui. Qua de re de Trojanorum naufragio ex imo pectore dolens Æneas, *ingemuit non propter mortem, ſed propter mortis genus*, Heroum animas in aquis extinctas eſſe putans.

Cæterum ſi de anima bruti, quam vere exiſtere, noſtra antedicta luculenter probant, clariora non dicimus, vobis in mentem veniat, quod magnus Galenus ſe de animarum eſſentiis nihil ſcire, ingenuè faſſus fuit, ideoque mei ingenioli cymba in altum ejuſdem brutalis animæ eſſentiæ mare conſcendere trepidat, ne ulterius ejuſdem naturam inquirens, in errorum ſcopulos incidam, moneo tamen Tyrones meos cum Platone in Theateto, *profanos eſſe, qui nihil eſſe putant, niſi illud, quod manibus palpare, & prehendere poſſunt*; ſunt enim patentes Cęlorum influentiæ, quæ nos, & ſublunaria afficiunt, & tamen nec ſenſu, nec odoratu, nec tactu, alio-ve ſenſu conſpiciuntur.

In ænigmate verò de brutorum anima loquens Hermetico tali modo illam adumbro: Figuræ ſpecies nulla ei certa, ſed incerta, eſt pulcherrima, ſed ſe contrectari non ſinit, nec mollis, nec dura eſt, qualis ſit non videtur, eſſe tamen oſtendit, cum corpore vivit, ſine corpore perit, eſt fortitudinis fortitudo fortis, vincens omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam ſubſtantiam penetrans, ſub-

ſtantia quidem eſt, ſed inepta ad operandum ſine corporis ſodalitio, multis denique pollet virtutibus, ſed vero ratiocinio caret, hanc ergo deſcriptionem licet obſcuram offero tibi Lector, ut animas brutorum eſſe credas, ſed quomodo ſint, neſcias.

Si autem pro majori intelligentia, & ſuperandis nonnullis difficultatibus circa animas Brutorum tantum credere voles cum Sennerto, eſſe ſui multiplicativas, haud eris authoritatibus, & rationibus deſtitutus. Quo ad authoritates ſupracitatus Sennertus hypomn. 4. pag. 35. cap. 6. ad probandam hanc ſententiam, adducit ſexdecim Authores primæ claſſis, Hipocratem nempè, Galenum, Ariſtotelem, Platonem, Cardanum, Scaligerum &c. quos magnos ſapientiæ filios negligere, temerarium eſſet. Accedit ſupracitatis Authoribus Zabarella de facult. animal. cap. 11. docens, quod omne animal, dum generat, communicat aliquid, & de ſua materia, & de ſua forma, ut conſpicuum fit in plantis, veluti granum unum frumenti multa alia grana generat, & in hoc ſenſu ſumi debet Ariſtoteles 2. de anima cap. 4. text. 34. *Unumquodque aliud ſibi ſimile procreare animal, plantam autem plantam, ut ſint ſemper hoc pacto, conditionemque ſubeant, quoad poſſunt Divinam*, nec quando ſimile generat ſibi ſimile, debet intelligi tantum quo ad materiam, ſed debet intelligi etiam quo ad formam, nam animas rationales in humana corpora infundi à Deo credimus, cæteras vero animas mediante ſemine communicari, probant adductæ authoritates, quibus in re tam dubia ſtandum eſſe, cenſeo.

Quo ad rationes, ſicuti non repugnat quod ignis, flamma, lumen alium ignem, aliam flammam, aliudque lumen accendat abſque ulla ſui diminutione, ita Animæ Brutorum primo à ſummo rerum Opifice

creatæ,

creatæ, ſeu à potentia materiæ productæ cum ſuo inſtinctu naturali, & impreſſis notitiis prævia generatione potuerunt, & poſſunt eſſe ſui multiplicativas, & ſicut lumen aliud accendere lumen, ac ita perpetuare animalium cum ſuis formis generationem: Et ſane ita voluiſſe, ſummus rerum Arbitrer videtur, hoc ſatis colligi poſſe ex præcepto animantibus datum per illa verba: *Creſcite, & multiplicamini*, quod non verificaretur, ſi animalium formæ non eſſent ſui multiplicativæ.

Neque aſſentiri poſſum Fernelio lib.1. de abditis cap.5. 7. 10. ubi acriter contendit, omnem animam proficiſci à Cælo, nam in ſacris paginis non legitur, unquam hanc Cęlis fuiſſe facultatem conceſſam, ſed viceverſa legitur, facultatem hanc fuiſſe tributam animantibus animatis per illa recenſita verba illis dicta in ſacra Geneſi: *Creſcite, & multiplicamini*.

Favet inſuper Ariſtoteles primo de generat. animal. cap. 20. dicens *Mas quidem prębet formam, principiumque movendi, fæmina autem corpus, materiamq;* & hoc modo ſalvatur ratio ſimilitudinis, induſtriæ, ſagacitatis, geſticulationum, aliarumque propenſionum natorum animalium cum animantibus generantibus: aliàs ſi formæ non eſſent ſui multiplicativæ, non poſſet aſſignari ratio ſimilitudinis prę-narratę, eo quia dictæ actiones nequeunt totaliter refundi in modificata materia, ut ſatis demonſtratum eſt, ac ita neceſſariò referri debent ad formas per ſe multiplicativas juxta inditum præceptum: *creſcite, & multiplicamini*.

§. I.

Error Paracelſi, & aliorum Recentiorum de Anima Brutorum.

DEnique, antequam finem ponam contra Carteſianos formarum Brutorum Interfectores, invehere acriter remanet contra Paracelſum, Joannem Sperlingen, & Ghanimedem, de quibus mentionem facit Joannes Freitagius de paradoxis, & erroribus ſectæ Sennertoparacelſicæ, diſput. 2. & contra Marcum Marci in defenſione ſuarum idearum loco tractatui præmiſſa: Hi ſane viri viceverſa non fuerunt ſolum contenti Brutorum formas admittere, veluti ſubſtantias incompletas, adeoquè in materia immerſas, ut nequeant ſine corpore materiali eſſe, & operari, ſed inſuper addiderunt, eſſe ſubſtantias completas, ac actum entitativum habere, nec non extra materiam ubivis per ſe exiſtere, egredientes ex Orco, & Iliado ad informandum, ſibique ex elementis corpora fabricandum, donec elementorum vinculis, & fæce liberatę formæ ad ſuum remeent Iliadum. Hinc animæ hirundinis, & ranarum, quæ hyemali tempore ſeceſſere, aut ea corpora informare deſierunt, per adventum Dominæ formæ reviviſcant, renaſcantur; hinc habuit originem fabula illa à Quercetano relata de roſæ ſpiritualis eſſentia è cinere, vel ſale ſuæ plantæ, admoto calore, progredientis, quaſi excitetur per calorem forma ibi deliteſcens; ò vanæ hominum curæ, ò quantum eſt in rebus inane: Sunt enim hæc Circulatorum præſtigia humanas decipientia mentes, nulla alia ratione probata, quam proprii Martis teſtimonio.

Non

Non ne Zanchius in explicatione operis ſextiduani lib. 7. cap. 1. authoritate Divi Baſilii nos docet, *quod jubetur terra animam vitalem Brutis ineſſe, quæ cum corpore diſſolvatur*. Non ne S. Gregorius 3. Moralium animalia habere animam, ſeu ſpiritum, qui carne tegitur, & cum carne moritur, aperte docuit? Ut cæcutire poſſitis in Poetarum fabellis de animarum ingreſſu, & egreſſu ab Iliado, ſeu Abyſſo? Illiſque mortalibus immortalitatem largiri? Vobiſcum igitur gratulor ò animalia, dum vobis datum eſt, æternas perennare vitas.

Plaudite cornupetæ ſalientes plaudite Vaccæ,
Lanigerique Greges, pennigerumque genus,
Cornigerique Boves, ſetigeràque ſues.
Vita equidem veſtris animis è funere reſtat,
Reſtat, & in corpus poſſe redire novum.
Fælices animę, quæ ubivis eſſe poteſtis,
Dum triplicis Mundi flamma reſolvat opus.
Dicite, quæ vobis ſtatio, & fortuna ſuperſit,
Cum ruet in priſcum machina trina Chaos.

Proh pudor! Brutorum caducas animas juxta omnium Theologorum placita, veluti noſtras immortales animas rationales ad æternitatem ſublimare? hi ſunt fructus, floreſq; novæ doctrinæ adeò prælaudatæ, hi expectati triumphus. Diſcite nunc ergo moniti Tyrones, Ariſtotelem Philoſophorum Principem non contemnere, ne vos etiam fraudolenta modernarum doctrinarum ſpecioſitate prolecti in his erroribus mentem involvatis.

De

SCRUTINIUM II.

De Anima rationali forma Corporis humani.

In quo per paragraphos diſtinctos ſacris authoritatibus ſtatuemus, unicam eſſe animam rationalem in corpore ſine ſubalternatione animæ vegetativæ, & ſenſitivæ, & inſimul facultates à Recentioribus deriſas, uti ab anima promanantes defendemus, & multiplices modernos errores circa prædicta zelo Apoſtolicæ fidei confutabimus præviis rationibus, & ſacris authoritatibus.

§. II.

De unitate Animæ rationalis in Corpore, & Confutatione Vuillis, Dolæi, & Etmuleri de Medicorum Recentiorum familia errantium circa Animam.

NON erat homo bilinguis Apollo, aut biformis Janus, ſeu centum oculorum Argus, ut talibus Monſtris ſimilis, unicum ejuſdem corpus duplex, aut triplex anima informare deberet, par enim erat, unicum corpus unicam in ſui gubernaculum obtinere animam, ne animarum multiplicitate imperii confuſio oriretur in corpore ſubjecto voluntati potentiarum Reginæ. Optimè propterea in lib. Eccleſiaſtic. dogmatum cap. 15. relato in phiſicis à Goudin.q.1.art.2. docetur: *Neque duas animas eſſe dicimus in uno homine, ſicuti Jacobus, & alii Syriorum ſcribunt, unam animam, qua animetur corpus, & immixta ſit ſanguini, alteram ſpiritualem, quæ rationem miniſtret, ſed dicimus unam, eandemque animam*

mam in homine eſſe, quæ & corpus ſua ſocietate vivificet, & ipſum ſua ratione diſponat. Confirmat hanc veritatem authoritatibus, & rationibus dictus Pater Antonius Goudin q. 1. art. 2. utrum ſit unica anima, & præcipuè adducitur teſtimonium octavi Synodi generalis can. 2. in quo habetur: *Apparet quoſdam in tantam impietatem deveniſſe, ut homines duas animas habere, dogmatizent. Tales igitur impietatis Inventores cum vetus, & novum Teſtamentum, omneſque Eccleſiæ Patres unam animam rationalem hominem habere, aſſeverent, ſancta Synodus anathematizat.*

Et revera, ſi in homine duplex, aut triplex eſſet anima, rationalis quidem in morte remaneret ſuperſtes, ſed ſenſitiva, & vegetativa perirent juxta leges cæterarum formarum, quæ pereunt cum materia, ex quo neceſſariò ſequeretur abſurdum, quod ſcilicet Chriſtus aliquod ſubſtantiale Verbo unitum dimiſiſſet, animam nempe ſenſitivam, quæ in triduo mortis periiſſet contra Divi Damaſceni, & Theologorum aſſioma: *Quod Chriſtus ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*, ideoque multiplicare formas ſine neceſſitate, eſt multiplicare errores ſine progreſſu.

Tanto fortius, quod ratio id perſuadere videtur, nam unicum vivens unicam debet habere animam, aliàs ſi tres obtineret animas, coacervatio viventium eſſet, ac viveret homo tanquam Monſtrum per triplicem vitam, nec porrò quia vegetat, & ſentit corpus, ideo anima vegetativa, & ſenſitiva eſt concedenda, nam actus vegetationis, & ſenſationis per ſolam animam rationalem in ſuis organis abſolvuntur, & ſi mihi deroges fidem, collige hæc Lector ex verbis Sancti Auguſtini de ſpiritu, & anima cap 4. & 13. *Anima, quæ ſecundum ſui operis officium variis nominibus nuncupatur, dicitur nam-*

que

que vitalis, dum vegetat, ſpiritus, dum contemplatur, ſenſus, dum ſentit, animus, dum ſapit. Quod idem S. Iſidorus lib. 11. ethimolog. videtur aſſerere per ea verba, *Anima noſtra, dum aliquid ſentit, ſenſus eſt*: Itaque ſentire, & vegetare non ab aliis animis, ſed ab ipſa anima rationali in corpore procedunt, ut firmiter probant ſupradictæ authoritates.

Siquidem noſtra anima, ut firmat Pater Rodericus de Arriaga Philoſophus, & Theologus celeberrimus è Societate Jeſu in phiſicis, concurrit immediatè efficienter ad actus ſubſtantiales generationis, & nutritionis, immò concurrit immediatè ad recipiendos actus materiales, ac ideo non eſt dubium, quin etiam concurrat ad actus vegetationis, & ſenſationis. Nam ut docet Divus Thomas qu. 76. art. 7. *Anima intellectiva unitur corpori non ſolum ut forma, ſed ut motor, ipſumque adminiſtrat, & movet per ſuam potentiam, & virtutem*, ex eo quia vegetatio, & ſenſus fieri nequeant, niſi ab aliquo agente intrinſeco ſpiritus ad hos actus promovente, aſt motor intrinſecus per D. Thomam eſt anima intellectiva corporis humani forma, ac per conſequens actus vegetativos, & ſenſitivos in ſuis organis anima rationalis per ſemetipſam abſolvit, abſque eo quod admittantur plures animæ in uno corpore, vegetativa nimirum, & ſenſitiva rationali ſubordinatæ.

Nec quia anima intellectiva miniſterio ſpirituum materialium corpus adminiſtrat, ideo actiones humanæ in ſpiritibus ſunt refundendæ, ut perperam multi ex Modernis faciunt, nam immediatè ab anima promanant, licet mediantibus ſpiritibus peragantur. Quapropter D. Auguſtinus lib. 1. ſuper Geneſim cap. 5. tom. 3. nos docet, *quod Anima per lucem, id eſt ignem, & aerem, quæ ſunt ſimiliora ſpiritui,*

tui , corpus adminiſtrat , & conſequenter agentis animæ ſunt actiones , & minime ſpirituum ejuſdem inſtrumentorum , veluti Faber eſt actor, malleus verò inſtrumentum.

Undè Julius Cæſar Scaliger exerc. 307. ſect. 5. *Nulla*, inquit, *apud me viget ratio , animam noſtram ſubſtantiam immaterialem, Dei quaſi particulam quamdam ullo modo eſſe compoſitam, præſertim ex duobus actu contrariis* . Et revera ſi in homine eſſent plures animæ, non eſſet quilibet homo unum animal , & ſuas operationes , & actus à diverſis formis prodirent, quod in materia peccati multa inconvenientia involveret , ac eo modo eſſet homo quaſi formarum cumulus, verus Gerion, verum Monſtrum.

In hac re videtur quidem D. Thomas 5. phiſic. text. 38. non contradicere Ariſtoteli , quod nimirum in formatione humani corporis inſint anima vegetativa, & ſenſitiva, nihilominus ſtatim aſſerit , iſtas perire in adventu animæ rationalis,quia unius numero , unus tantum numero eſt actus , ac ideo tanti Viri authoritate deſtituuntur , qui pluralitatem animarum admittunt in homine.

Nec tutum illorum ſubterfugium , qui tres illas animarum ſubſtantias in unius compoſitionem , quæ à nobiliori rationalis nuncupatur , convenire arbitrantur , nam , præterquamquod ex adductis ſuperius improbabilis eſt talis compoſitio , contrariare diametraliter videtur præfato D. Auguſtino lib. de quantitate animæ cap. 1. in quo ſcribit : *Animam eſſe ſimplex quiddam , & propriæ ſubſtantiæ* , quam ſermone 13. de Martyribus , ait , *præſentia ſua carnem vivificare, cum vitam illi , & opera vitæ communicet*, ac ideò omninò excluditur ſodalitium animæ vegitativæ, & ſenſitivæ cum rationali , dum ſola rationalis anima ex D. Auguſtino potens eſt, viviſi-

viſicare carnem, illique vitam, & opera vitæ communicare per ſuam ſingularitatem.

Quibus jactis fundamentis incontrovertibilis veritatis, digladiari oportet contra nonnullos Recentiores, qui præter animam rationalem, animam ſenſitivam in humano corpore admittunt, & primo ſub ſacra Critica veniat inter Recentiores Etmulerus, qui capite 3. de corpore humano, ejuſque vitali principio §. 7. ait: *Principium illud internum, quod actuat, & movet hanc machinam, vitale ab effectu appellatur, quod etiam ſpeciali nomine anima dicitur, non eſt aliqua ſubſtantia immaterialis, quia in quibuſdam eſt diviſibile, & aliàs eſſet indeſtructibile.* Quam animam, ſeu vitale principium conſtituit in volatiliſſima, & ſubtiliſſima ſanguinis parte contradiſtinctum ab anima rationali, deindè ſequitur in §. 33. *Homini ſoli eſt anima rationalis ſubſtantia revera ſpirituoſa immortalis, & immaterialis cum corpore hominis animalis nihil habens commercii, & ab economia animali, ejuſque functionibus planè excluſa, ſolius intellectus, & voluntatis operationes immateriales, & inorganicas peragens.* Quæ opinio non ſolum abſurda, ſed temeraria exiſtit, ſiquidem ſupracitatæ ſacræ authoritates jam manifeſtiſſimè damnant Authores illos, qui duas animas admittunt, unam nimirum in ſanguine, qua animetúr corpus, alteram verò ſpiritualem, quæ rationem miniſtret, ut audacter ſentit ſupracitatus Etmulerus, immò anathemate hujuſmodi farinæ Authores à Sacra Synodo fulminantur, ut ſupra palam deductum eſt.

Non minori deinde hæreſi laborat §. 33. in quo effutit, quod anima rationalis nihil commercii habeat cum corpore hominis animalis: ſed quommodo rationalis anima, quæ à Concilio Tridentino fuit

fuit definita forma humani corporis, non habet commercium cum corpore humano, ſi ex D. Auguſtino illud vivificat, vitam, vitæque opera communicat? Quomodo ab economia animalis, ejuſque functionibus planè excluditur, ſi corpori unitur non ſolum ut forma, ſed ut Motor? Ipſumque miniſtrat, & movet per ſuam potentiam, & virtutem, ut communiter tenent SS. Patres, & in terminis D. Thomas q. 76. art. 7. Quomodo non concurrit ad animalis hominis functiones, ſi ſupra probatum eſt, concurrere ad recipiendos actus materiales, operationeſque organicas ab ipſa fieri per ſpiritus, & organa? Si vitalis dicitur in ſententia ſupracitati D. Auguſtini, dum vegetat, & ſenſus, dum ſentit, ut etiam ait D. Iſidorus? Unde ergo aſſerere poteris, principium illud vitale, quod actuat, & movet non eſſe aliquam ſubſtantiam immaterialem ab humani corporis conditione ſecluſam? ſi intellectiva anima, humani corporis forma, & motor eſt?

Reſipiſcant ergo Etmulerus, ac ejuſdem Sectatores, & perpendant quesò, quod ſi ab anima rationali, ut ipſi aiunt, operationes immateriales, & inorganicæ ſolius intellectus, & voluntatis peragantur, cæteræque corporis functiones, & actiones abſolvantur per animam materialem in ſubtiliſſima ſanguinis parte conſtitutam, cum hac peſſima Molini doctrina liceret, ſenſibus noſtris fræna laxare, obſcenos aſpectus liberè proſpicere, crapulari, luxuriare Belluarum more ad inſtar, quia hæ ſunt organicæ operationes independentes ab anima rationali. Sed heu voces hara Epicuri digniſſimas à ſana hominum mente obliterandas!

Una igitur eſt anima forma corporis humani, quæ juxta D. Thomam eſt radicatiuum principium om-

omnium corporis humani actionum, omniumque actuum perfectio, & complementum. Ipſa inquam eſt opus æterni Dei, quo humanum corpus movetur, dirigitur, & gubernatur, obtinens non ſolum actus vegetationis, & ſenſationis, ſed quoslibet alios perfectiores, & neceſſarios ad humanam vitam manutenendam. Unde erubeſcant Recentiores aliqui, qui nulla habita animadverſione de anima radicativo motus principio, effutiunt corpus humanum eſſe quantitatem materię compoſitam, veluti machinam ſemoventem.

Secundo examinanda venit Vvillis doctrina cap. 11. de Melancholia part. 2. pathalog. fol. 242. in quo ait: *In mæſtitia in primis animæ flammea pars, ſeu vitalis quoad ambitum ſuum coarctatur, & intra brevius ſpatium coercetur.* Quæ doctrina impia, & Epicurea eſt, impia quia contradicit expreſsè ſacris adductis authoritatibus; & præcipuè D. Auguſtino lib. de quantitate animæ cap. 1. in quo docet, *animam eſſe ſimplex quiddam, & propriæ ſubſtantiæ*, & ideò non componitur cum flammea parte, ſeu vitali. Epicurea verò, quia ſi flammea eſt animæ pars, eſt etiam elementaris, mortalis, & corruptibilis, ſi quo ad ambitum coarctatur, eſt igitur globoſa, & motus circularis capax, ſi flammea vitalis eſt pars animæ, ergo eſt quanta, & diviſibilis, & conſequenter materialis, ſi tandem intra brevius ſpatium coercetur, connotat motum extenſiuum ad minus ſpatium, abbreviatio enim, & ſubſidentia competunt quanto, non autem formæ, & per conſequens juxta Vvillis ſententiam materialis eſt anima, ut olim volvit ſacrilegus Timeus confutatus à Curtio Marinello par. 3. lib. 1. de anima ſolut. 9. in lib. phiſ. Ariſtotil.

Nec

Nec ſuffragatur defenſio, quod anima vitalis ſenſitiva flammea, & lucida ſubordinetur animæ ſupremæ, & in ſuo ſinu rationalem animam retineat, ut habet philoſoph. nat. de anima Brutorum in præfatione ad Lectorem, quia ſemper obſtant prius adductę rationes, & ſacræ authoritates, quæ unicam ſtatuunt eſſe formam corporis ſine compoſitione, & ſubalternatione aliarum animarum.

Et porrò in relevantiſſima noſtræ animæ conſideratione unica ſalutis ſpes firmiter eſt adhærere ſupracitatis Oraculis, nam ſi perſuadente Diabolo, aliquantulum deflectamus, ſtatim in errores illabimur; Et ſanè ſi dicamus, flammeam vitalem ſenſitivam eſſe animæ partem, nonne valdè appropinquamus ad Zenonem, & Stoicos omnes, qui crediderunt, noſtras animas eſſe ſpiritus calidos, & ſubtiliſſimos ratione, & ſapientia donatos ſuperius emanantes, ex illis nimirum ſempiternis ignibus, quos ſydera, ut ait Seneca, & ſtellas vocamus, veluti quaſdam ſcintillas ſydereas proſilientes in terram? Propterea ait Servius; *Ingemuit Æneas non propter mortem, ſed propter mortis genus*; Grave enim erat, ut quoque ſentit Homerus, in naufragio perire, quia anima ignea extinguebatur in undis ſibi contrariis.

Si dicamus cum eodem Vvilli in eadem præfatione, per animam corpoream carni adhærentem, homines in voluptates ſenſuales inclinari, facilis aperitur acceſſus ad aſſerendum, quod ſicut animalia per hanc animam corpoream ſenſitivam incitata in voluptates prorumpunt, & ad varios affectus concitantur, ita à pari animal homo per hanc animam corpoream ſenſitivam ſine miniſterio, & concurſu rationalis animę poſſet bellvarum more in libidine, aliiſque brutalibus affectibus tripudiare, abſque eo quod incideret in peccata; attento

quia per abſtractionem animæ rationalis elevatæ vel ad Dei contemplationem, vel ad intenſam aliarum rerum conſiderationem abſque ipſius ope ad ſupradictos affectus, ſicuti cætera animalia prol abi poſſet; Et ſuper hac ſcandali petra fundata fuit noſtris temporibus hæreſis Molini, qui elevata mente ad Deum, humano corpori ſine peccati ſcrupulo nefanda permittebat.

Accedite ergo Lectores ad Vvillis volumina cum theda orthodoxæ fidei corruſcante, ne diabolica novitatis fraude pretioſæ animæ margaritæ detrimentum patiamini, & ſedulò cogitate Davidica verba. *Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium*, ut perſpectum habeatis, mille nocendi artes Diabolum in dies moliri in animarum perniciem.

Tertio loco inter Recentiores ſub cenſura cadit Dolæus, qui Encycloped. medic. in præfatione ad Lectorem non ſolum errat circa animam ſenſitivam, ſed blaſphemat circa primam hominis formationem, ejuſdemque reſurrectionem, verba Dolæi ſunt: *Creavit Deus hominem de limo terræ per evolutionem ideæ humanæ, quæ in Chaos continebatur, neque enim ſua forma fuit deſtitutus limus, & inſpiravit in eo ſpiraculum vitarum, hoc eſt utramque vitam adeſſe juſſit Microcoſmetorem, ſcilicet animam ſenſitivam, & rationalem*; quærit deinde in eadem præfatione, cum nos viſuri ſimus Deum in carne noſtra, qua carne vel infantili, aut juvenili, aut ſenili, unde cum non detur ratio cur potius una, quam altera excludi debeat, neceſſe eſſe, concludit, *per carnem intelligere animam ſenſitivam quacunque carnis portione amictam*.

O bone Deus, qui formaſti hominem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam, & hic deſipiens, te

evol-

evolviſſe, ac explicaſſe hominis ideam non in tua altiſſima mente latentem, ſed in Chaos contentam, ſcribere non erubeſcit, & quando ſacra Geneſis ait, *& inſpiravit in eo ſpiraculum vitæ,* hic mentecaptus ait *Vitarum*, ut ſuum phantaſticum Microcoſmetorem adaptaret, animam ſcilicet ſenſitivam, & rationalem, & tamen jam ſatis in præſenti paragrapho probatum, & repetitum eſt per ſacras authoritates, & rationes, animam ſenſitivam unitam cum anima rationali in unico corpore dari non poſſe. Deinde cum ex Doctrina Chriſtiana docemur, nos viſuros eſſe Deum in carne noſtra, hoc docet eſſe ex virtute Dei, & miraculosè reaſſumentes eadem corpora, quæ prius nobis erant, & debebunt eſſe perfecta, & triginta trium annorum ſecundum ætatem plenitudinis Chriſti; ut ait Apoſtolus. Undè non tibi gloſare licet, per carnem intelligi debere animam ſenſitivam, quæ à ſupracitato Concilio, & ſacra pagina non datur ſimul unita cum anima rationali in corpore humano. Poterat ergo majori jure, & ratione eruditionis quærere Dolæus cum Toſtato in Geneſim quæſt. 29. cap. 3. *an homines poſt reſurrectionem debeant habere veſtes, & ab eodem intellexiſſet, fuiſſe Adamum, & Hevam nudos creatos, & nudos cum Poſteris apparere debere.*

Cæterum de mortuorum reſurrectione ſine anima ſenſitiva quacunque carnis portione amicta, ut ſomniat præcitatus Dolæus, teſtimonium clariſſimum habemus in illa Ezechielis viſione 37. qui in ſpiritu ductus in medio campi, qui erat plenus oſſibus aridis, vocem Domini audivit dicentem: *Oſſa arida audite verbum Domini: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis, & dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnem, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, &*

vivetis, & ſcietis, quia ego Dominus. Deinde ſubjungit; *& acceſſerunt oſſa ad oſſa unumquodque ad juncturam ſuam, & ecce ſuper ea nervi, & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper, & ſpiritum non habebant*, ac ita clariſſimè patet per carnis reſurrectionem excluſam eſſe vitam, ſeu animam ſenſitivam quacunque carnis portione amictam, dum non vivunt oſſa arida, licet acceſſerint ſingula ad juncturam ſuam, & nervi, & carnes, & cutis ſuperimpoſita fuerint oſſibus illis: *& ſpiritum non habebant*, niſi ſpiritum intromittat Deus, & vivant, qui ſpiritus ſola anima rationalis eſt verum, & indubitatum vitæ principium juxta ſacram Geneſim: *& inſpiravit in eo ſpiraculum vitæ*; & in alio loco magis licteraliter: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt* intelligendo ſpiritum pro anima rationali, quæ eſt particula Divinæ Auræ in humano corpore inſuflata.

§. III.

De reintegratione Facultatum ad poſſeſſionem Corporis humani per Medicos Recentiores excluſarum, ac de abſurdis erroribus, qui exindè ſequuntur, atheiſticis, & hæreticalibus principiis, proximis, & adhærentibus.

INtellectiva anima, ò Novatores, vitæ noſtræ principium, nobilis illa Divinitatis Imago, Dei non modo ſpiraculum, ſed & particeps Cęli, hæres æternitatis, terræ, terreſtriumque Domina, ac omnium rerum exploratrix, & arbitra corporis ſui domicilium regit, gubernat, & adminiſtat, imitando ſuum Æternum Creatorem, qui ſicuti ſua providentia Divina ubique diffuſa Terrarum Orbem guber-

gubernat, ita & ipſa ſuis virtutibus, & facultatibus per totum corpus diffuſis parvum hominis Mundum Microcoſmum dictum regit, & adminiſtrat; ac propterea animæ facultates, quibus humani corporis actiones exercentur, denegare, illaſq; aſſerere provenire ex mechanica corporis ſtructura per fibras ſcilicet motrices, glandulas, cribros, configurationes, & fermenta per Recentiores ſuppoſita, non multum debet arridere Medico, & Philoſopho Chriſtiano.

Et ut in re tanti momenti ſpecimen veritatis exhibeam, primo ſunt hic repetendæ præcitatæ authoritates in antecedenti paragrapho, ex quibus liquidò conſtat primo ex D. Thoma, *quod noſtra anima unitur corpori non ſolum ut forma, ſed ut motor, ipſumque adminiſtrat, & movet per ſuas potentias, & virtutes*. Secundo ex D. Auguſtino *anima in corpore humano ſecundum ſui operis officium variis nominibus nuncupatur, dicitur namque vitalis, dum vegetat, ſpiritus, dum contemplatur, ſenſus, dum ſentit, animus, dum ſapit*. Tertio ex Eccleſiaſticis dogmatibus ſupra recenſitis adeo omnia corporis munia rationali animæ tribuuntur, ut animam, quæ conſtituitur in ſanguine, ſivè ejus ſpiritibus excludat, dicendo *unam, eamdemque animam in homine eſſe, quæ & corpus ſua ſocietate vivificet, & ſemetipſum ſua ratione diſponat*. Quarto authoritate Patris Roderici de Arriaga Theologi celeberrimi *anima efficienter concurrit ad actus ſubſtantiales generationis, & nutritionis, & ad actus materiales recipiendos*. Ex quibus evidens eſt, corpus propter animam, & facultates, non verò propter machinam, & ſtructuram ſe movere, ſuaſque operationes exercere.

Secundo præmonendum eſt, quod facultatum nomine intelligimus proprietates, ſeu influentias

animæ rationalis, quibus mediantibus humani corporis functiones exerceantur, ſeu immediatum concurſum ejuſdem animæ vivificantis, & promoventis hanc vel illam actionem juxta organicam diſpoſitionem, & temperamenti proportionem. In quo ſenſu adnitimur authoritate ſubtiliſſimi Scoti, qui lib. 2. ſentent. diſſer. 16. q. unica, tantummodo inter animam, & facultates admittit diſtinctionem formalem, & voluit eamdem animam, quatenus dat eſſe, & abſolutè conſideratur, appellari ſubſtantiam, & animam, prout autem principium eſt operandi, facultatem nuncupari, in cujus claritudine benè dicebat Mirindolus, quod ſicuti potentia calefaciendi ſe habet ad calorem, ita facultates ſe habent ad eſſentiam animæ, quæ toti, & parti vitam, actionem, ſenſumque communicat.

Undè jure merito Ariſtoteles lib. 1. de anima text 65. partes animæ appellavit facultates, imitando Platonem Præceptorem, qui facultates actus animæ ſecundos ſæpius appellat, & Hipocrates lib. de alimento circa finem, potentiam unam eſſe ait, habita ratione ad animam, quæ eſt radix omnium facultatum, ex quo clariſſimè patet, facultates realiter non diſtingui ab anima, cũ per ipſam, & ex ipſa radicaliter inſint, ac ab ejus eſſentia promanent.

Quod facultates non diſtinguantur realiter ab anima, ratio id perſuadere videtur, dum ab oculari obſervatione deſumitur, nimirũ quando uni actioni attentiùs anima eſt occupata, à cæteris, objecto etiam provocante, abſtineat, ut paſſim in abſtractionibus videmus, & præcipuè in ecſtaſi, in qua tota mente, & anima ad Deum intenſivè contemplandum elevata, corpus veluti mortuum in cæteris actionibus derelinquitur, cum facultates, & ejuſdem influentiæ tunc temporis ceſſare videantur. Nec enim

enim dubitandum, quin facultates, & potentiæ inſinit in anima, quia ut ſupra audivimus ex D.Thoma *anima ut motor corpus adminiſtrat, & movet per ſuas potentias, & virtutes*, unde Medina in tertiam partem D. Thomæ q.4. art.2. animam rationalem dicit eſſe totum potentiale continens in potentia vegetationem, ſenſationem, & omnes facultates, tanquam planetarum Princeps ſuis radiis, nimirum facultatibus illuminans, & adminiſtrans totum corpus.

Et porrò ſi juxta opinionem communem à SS. Patribus receptam anima eſt tota in qualibet parte corporis, & non poteſt eſſe tota ſecundum partes quantitativas, non enim eſt quanta, ſeu diviſſibilis, ergo erit tota ſecundum ſuam potentiam, & virtutem, & per conſequens exiſtente anima, debent neceſſariò exiſtere ejuſdem virtutes, & facultates ad corporis humani fuctiones obeundas. Cum autem anima ſit in qualibet parte corporis, nulla poterit ipſius pars ſine anima operari, & ſemper ex ipſius unione cum corpore prodibit actio; quamobrem ad hunc concurſum denotandum Ariſtoteles primo Ethicorum *ſomnum eſſe*, dicebat, *otium animę non operantis*.

Quapropter erubeſcant recentiores Medici, quos admirabiles humani corporis actiones materialibus opificiis tribuere non pudet, deridentes Medicos illos, qui nominant potentias, & facultates, quaſi hodie in hac nova licteratura anima rationalis corpus informans non ſit ad mentem D. Thomæ radicativum principium omnium corporis actionum, ſed tantum ſolius intellectus operationes immateriales, & inorganicas peragat.

De anima ergo loquens Philoſophus 2. de anima text.24. apertè docet, illam eſſe *principium, quo vivimus, movemur, ſentimus, & intelligimus*, princi-

cipium nimirum facultatis vegetativæ, ſenſitivæ, naturalis vitalis, & intellectivæ, ut in noſtris terminis comprobant D. Auguſtinus lib. de ſpiritu, & anima, & D. Bernardus ſermone de vita, & quinque ſenſibus, ideoque nulla corporis actio per facultatum nomina deſignata poterit haberi in noſtro corpore, niſi per motum animæ viventis, moventis, & operantis per organa, per ſpiritus, per ſanguinem; Unde lepidè dicebat Ariſtoteles anima ſe habet ad corpus tanquam artifex ad inſtrumēta, & ſeruus ad Dominum, qua de re ſtructura partium corporis, configuratio, & fibræ nerveæ, & carneæ erunt organica facultatum animæ inſtrumenta, & obſequentes famuli erunt ſpiritus, & calidum innatum.

Sapiens Heraclitus cuncta noctеſcere ajebat, ſi ſolem Mundo ſuſtuleris, ita noſtrum corpuſculum, ſi deſit anima, nulla ibi contrectatur vena pulſatilis, ſentiendi nullum ineſt judicium, nullus vitalis halitus, nulla ſpiratio, quia necquicquam valent Principes omnium partium Motores, cerebrum nimirum, & cor nuperrimè recenſiti, ſi ceſſet anima principalis Motor, quia illi tunc movent animati corporis partes, quatenus & ipſi primo ab anima moveantur.

Hujus veritatis in præclarum teſtem habemus Alphonſum Borellum de motu animalium par. 1. cap. 1. dicentem: *Principium, & cauſa effectiva motus animalium eſt anima, cum animantia per animam vivant, & durante vita, motus in eo perſeveret, extincto verò animali, ideſt non amplius anima operante, machina animalis omninò iners, & immobilis*, deindè ſequitur: *inſtrumentum animæ activum vocari ſolet virtus, ſeu facultas &c.* Ex quo virtutem principalem motricem ab anima vivente profluere, ſatis aperte colligitur, non verò ex fibris motricibus.

Ul-

Ulterius arduum vobis videbitur, ò Recentiores, ſi propalavero, vos quærere hominem in ſubtiliori anatome maxima cum diligentia, & ad inveniendos ſatis eſſe non poſſe, niſi D. Auguſtinum conſulatis, quippe vos externam hominis figuram luſtratis, ejuſque habitaculum inquiritis, ſed verum, & rationalem interiorem hominem illius corporis habitatorem omnia moventem, & peragentem poſthabetis, quid mirum igitur, ſi in exilium mittatis animæ facultates, & quando audire vobis contingit facultatum nomina impoſita ad proprium animæ officium declarandum, ſive ſit reſpiratrix, ſive concoctrix, ſive expultrix, ſive viſiva, ſive ſenſitiva, ſtatim ad riſum concitamini: Audite ergo præcitatum D. Auguſtinum, qui Divino ſermone hæc omnia nos docet: *Anima eſt interior ille invisibilis homo, qui cum vivificat corpus, anima eſt, unde animatum dicitur, cum vult animus, dum recolit memoria, dum judicat ratio, dum ſentit ſenſus, dum ſpirat, & contemplatur ſpiritus.* En itaque quod vivificare, ſentire, ſpirare, interiores illius ſunt hominis facultates. In cujus rei confirmationem ſatis accommodè Plato libro quinto Alcib. 1. dicebat: *Id, quod imperat corpori, hominem eſſe, confeſſi ſumus.* Quod verò has interior hic homo, nimirum anima ſuggerat facultates, magnam habemus authoritatem D. Gregorii Niſſeni de anima ita loquentis: *Anima eſt eſſentia facta, eſſentia per ſe vivens intellectualis corporeis ſenſuum Inſtrumentis videndique, percipiendique ea, quæ cadunt ſub ſenſu, per ſe facultatem ſuggerens.* Unde non veſter exhorreſcat animus ad facultatum vocem, quæ blanda, & ſuavis redditur ex mellifluo Sanctorum ore, tantiſque Doctorum authoritatibus ſtabiliuntur, adeo ut vix locum inveniam, aliquid ex meo Marte addendi.

Cecinit Virgilius: *Spiri-*

Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Si ſpiritus intus alit, quid mali ſi ad deſignandū hoc animæ miniſterium, facultas concoctrix vocitetur? dum Ariſt. 1. de partibus animal. docet: *Animæ duplex eſt officium alere, & movere*? Si mens infuſa per artus totam agitat molem, quid inconveniens, ſi ad denotandum animę concurſum in motibus expulſivis, facultas expultrix nominetur? Quid! fortaſſe ex ſupracitato D. Th. nō unitur anima corpori ut motor? & ex d. Borello non eſt anima principium, & cauſa effectiva motus animalium, & anima non amplius operante, animalis machina omnino eſt iners, & immobilis? Quare recuſamus facultates ad animæ motus, & concurſum denotandum introductas, ſi animā adeſſe credimus? Et quid enim aliud eſt anima, niſi actus corporis organici, ut communiter definitur? Et quid enim aliud ſunt facultates, quas negatis, ò Medici Recentiores, niſi actus corporis organici? Cavete ergo, ne facultates ablegantes, & mechaniſmo addicti, rationalem tandem animam facultatum radicale principium de medio tollatis, regula enim clara eſt: *Qui vult conſequens, vult etiam antecedens.*

Nec exinde patrocinari prætendo nonnullos gregarios Medicos, qui tota die in morborum explicatione imprudenter accuſant facultatē expultricem, retentricem, concoctricem, interim neglecta morbificæ cauſæ cognitione; vera partium ſtructura, & humoris peccantis indole, quando enim in morbis nullum facultates intereſſe habent. Si enim ab acrimonia humorum irritentur partium fibræ, quid facultas expultrix, ſi illarum tonus flacceſcat, & relaxetur, quid quesò retentrix, quid quesò concoctrix. Concedimus quidem animam eſſe illam, quæ ſuis ſenſibus acris humoris ſtimulum perſentit, retenſio-

nes

nes imperat, expulſiones promovet, & pro alendo corpore ad coctionem concurrit; ſed Medicus accuſare non debet has facultates, ſed pravos ſuccos, qui irritant animatum corpus, & coctiones depravant, ac ſuper ipſorum correctione, & ejectione ſermonem inſtituere.

Definiunt igitur communiter ſani Philoſophi, corpus animatum eſſe illud, quod habet internum principium earum operationum, quas peculiari nomine vocamus vitales, ut vegetatio, ſenſatio, intellectio, vel clarius loquendo corpus phiſicum animatum dicunt, eſſe illud, quod habet unam partem eſſentialem nobiliſſimam, quæ dicitur ejus forma, & alteram partem eſſentialem, ſed minus nobilem, & magis paſſivam, quam activam, quæ corpus nuncupatur; hæc itaque partes debent ad invicem contemperari, ut corpus ſerviat animæ ad exercitium operationum vitalium, ſinatque agere animam, illique impellenti ad agendum, quod actura, tanquam habilè inſtrumentum obediat, ac ex tali connexione oritur noſtra vita, cujus vitale principium eſt anima; inſtrumentum vero corpus organicum.

Hinc percipe Lector noſtram vitam, noſtraſque operationes vitales non pendere ex circulatione, & motu ſanguinis, ut inter Recentiores ſentit Jo: Helfrici Junghen cap. 2. de principio corporis noſtri vitali, ſed de hac erronea opinione diffusè agemus in ſequenti Scrutinio de vita contra Recentiores.

Quibus jactis fundamentis ſemper ſanè admiror nonnullorum Recentiorum errorem, qui detecta meliori internarum partium ſtructura, perſuaſum ſibi habent, alienum eſſe animæ commercium cum corpore, ejuſdemque facultates ſomnia, & deliria eſſe Antiquorum, conanturque explicare corporis ſenſationes, & operationes dependere à fibrarum

oſcil-

oſcillatione,& humorum fermentatione, nec non à fluidis agentibus in ſolida, & à ſolidis agentibus in fluida,& hujuſmodi mechaniſmo concurſum animæ per ſuas facultates excludunt, non animadvertentes, quod in hac falſiſſima hipotheſi darentur operationes vitales ſine anima, ſine forma, quæ ex D. Thoma eſt omnium actionum principium, & principalis motor.

Fingunt ulterius homines tanquam horologia aquatica, ſeu hydroaula, & eadem mechanica moveri, abſque eo quod vitalis motus ab anima dependeat, ita loquentem vide Blancardum Inſtit.medic. cap.29. de animæ operibus, ac inſuper in Recentiorum libris, quod in humano corpore excitato ſemel elaſtico motu per prolificas ſpermatis partes in ſolidis, & fluidis fætus ob æquilibrium, quod fluida inter,& ſolida intercedit,niſum, conatumque ſuum dictus elater in præfatis partibus perpetuet.

Sed hujuſmodi ineptę ſermocinationes ſunt Atheiſtarum repagula, quibus animæ exiſtentiam infringunt, & obnubilant, cæterum facile cognoſcitur, humana corpora mollia, & flexibilia moveri non poſſe horologiorũ ad inſtar, quorum ſunt componentia dura, & rigida admodum reſiſtentia, nec in humano corpore ſemel excitato elaſtico motu, mediante ſemine, talis inde motus ob æquilibrium inter ſolida, & fluida manutenetur, quia in primis talis motus non probatur in ſemine, & ſi adeſſet, perpetuari non poſſet in tenellis,& flexibilibus corporis partibus nec reſiſtentiam, nec perpendiculum habentibus. Quapropter concludere licet cum precitato Borello, quod principium, & cauſa effectiva motus eſt anima, qua in corpore perſeverante, vita, & corporis motus perſeverat, ac amplius non operante, manchina animalis omnino iners, & immobilis relinquitur.

Et

Et poſſibile ne erit, vos admirabiles corporis a-ctus mechanicæ ſtructuræ tribuere velle, & theſaurum animæ pretioſum his fictilibus incluſum negligere, quando inceſſabiliter hæc nauta vigilans ſuis facultatibus ancillis corporis ſui naviculam movet, dirigit, gubernat? Quid enim reſponderetis ò amati Recentiores, ſi aliquis vobis oſtenderet, hominem abſolutè vocari animam, quia illa eſt, quæ per ſe, & immediate omnia in organico corpore peragit, atque abſolvit ſuis virtutibus, & facultatibus? En textus in Exodo cap. 1. clariſſimè loquens: *Septuaginta animæ introierunt in Ægyptum de femore Jacob*; quid clarius, quid verius! ac ideò Propheta David exclamabat: *Anima mea in manibus meis ſemper*, ut denotaret omnem motionem, omnemque actionem originem ſuam obtinere ab anima per facultates operante. In quo ſenſu ſupracitatus Plato in Alcibiade dicebat. *Id, quod imperat corpori* (*nempe anima*) *hominem eſſe, confeſſi ſumus*.

Porrò ſi vitales actiones à vita dicuntur, & vita eſſentialiter eſt ab anima juxta illud ſacræ Geneſis, *& factus eſt in animam viventem*, ideſt *habens animam dantem vitam non ſolum viventem, ſed etiam vegetantem, moventem, ſentientem, & intelligentem*, ut præcisè interpretat Toſtatus in Geneſim q. 7. c. 2. in cauſa principali formationis hominis, ſequitur neceſſario, vitam eſſe ab anima, & non à fluidorum motu, & circulatione, ac animam concurrere ad omnes corporis actus, ex eo quia nulla actio poteſt eſſe ſine motu, ſine ſenſu, qui ut ſupra probatum eſt, ab anima fluunt, atque emergunt.

Nec vobis veniat in mentem ſolummodo ad animam pertinere intellectionem, memoriam, & voluntatem, quia Ego dico vobis, quod ſi cæteras facultates à corporis miniſterio, & ab anima relegatis,

gatis, tandem ibit quoque in exilium memoria, & voluntas, ſed heu paradoxum! componite quæſò animum, & ab Helmontio Recentiorum facilè Principe hanc peſſimam cantilenam audite tit. Dement. Idea n. 15. verba ſunt: *Denique cum voluntas, & memoria procul diſtent à ſede animæ, ſive intellectus, concluſi mecum, intellectum eſſe de eſſentia animæ inſeparabilem, voluntatem vero, & memoriam, quatenus habentur in vita caduca, eſſe facultates caducæ, & vitæ ſenſitivæ.* En hùc uſque pervenit iniqua philoſophandi libertas, en finis ſanos calumniandi Philoſophos, & facultates ceridendi. Fingit ſanctitatis ecſtaſim hic falſus Hipocrita in præcitato loco, quando viperino ore venenum hæreticale inſtillat, nam ſi voluntatem abſtrahit ab eſſentialitate animæ rationalis, aufert ſimul liberum arbitrium, meritum, & demeritum, & peccatum, quod ſi voluntarium non ſit, non eſt peccatum, & pedetentim inſinuat ſententiam Lutheri, qui hominem ad patiendum, non ad volendum eſſe conſtituit, & deleri poterit à ſacra pagina illa doctrina: *Quod Deus reliquerit hominem in manu conſilii ſui*, dū voluntas facultas eſt vitæ ſenſitivæ, & mortalis non diſſimilis à beſtiis, quibus non eſt neq; nolle, neq; velle. Unde nō mirum ſi etiam aſtra nos cogere, non inclinare, alibi docuit, ut auferret liberum arbitrium ſupradictum.

Jam mihi videor videre bonorum Recentiorum in his audiendis exhorreſcere animum, ſed magis horrendum, & execrandum, ſi non ſolum memoriam, & voluntatem, uti principales animæ rationalis facultates denegatas eſſe, oſtendam, ſed inſuper in eorum hipotheſi animam ipſam in medio ſublatam: Et quidem ſicut ille Manicheus negando prius muſcam eſſe Dei creaturam, tandem per vim congruentis argumenti devenit ad hanc impietatem,

tem, nihil viſibile fuiſſe à Deo creatum, ita prot accidit negantibus facultates in humano corpore, ut paulatim inducantur ad negandam animam ipſam rationalem, dum ut ait Galenus 9. meth. meden. *Anima, & facultas idem eſt*.

Et in aſſumpti probationem deveniendo, aſſerunt Recentiores ſenſationes noſtri corporis fieri mechanico modo per undulationem nimirum, & tremorem inductum prius ab objecto externo in fibris nerveis, deinde continuatum uſque ad nervorum ſcaturiginem, ſcilicet ad cerebrum, veluti pulſatæ chordæ in inſtrumentis muſicalibus à principio uſque ad finem reſonantes, quas ſenſationes ad formam ſuæ impreſſionis anima judicat; at hujuſmodi ſenſationes (attentius quesò) non diverſo modo fiunt in Brutis, & animalibus, quæ juxta Recentiorum placita, & præcipuè Carteſianorum ſunt pura authomata artificioſa horologiorum adinſtar ſine anima, ſine forma, ergo ad hoc, ut fiant ſenſationes in corpore humano, non opus eſt anima, illatio clara eſt, nam ſi abſque ope animæ peraguntur in Brutis per eorumdem corporum ſtructuram, ita à pari fieri poterunt in humano corpore ſine anima.

Ita eſt, benevole Lector, latet in hodierno mechaniſmo ſerpentis antiqui venenum, quod multoties tranſmutat hos magiſtellos in atheiſtas, ut præmonuit aliàs citatus in noſtra præfatione Merſennus. Cæterum eorum ineniis reſpondendo, dico, quod anima tota vita eſt, & agit ſecundum vitales quaſdam leges, quemadmodum fit in diffuſione luminis, cujus gaudet analogiſmo, valde diverſas à mechanicis, propterea animæ operationes nequeunt explicari mechanico modo: Et ſanè omnes animalium partes tam molles, & laxæ ſunt, ut impoſſibi-

le

... puras mechanicas motus leges, & vibrationes reducere humanas ſenſationes, & actiones; non enim fibræ nerveæ ſunt tenſæ,& rigidæ,veluti chordæ inſtrumenti muſicalis, ut reſonantes impreſſionem communicent per corpus, & uſque ad cerebrum, ſed flaccidæ, & mille plicaturis circumflexæ nequeunt certè hanc motus mechanici legem obſervare.

Nec ulteriùs fibræ nerveæ per ſpirituum vehicula poterunt deferre ad cerebrum ideatas impreſſiones, quia ſpiritus à nervorum principio influunt ad fibras nerveas per corporis peripheriam expanſas, & non à fibris nerveis ſpiritus ad cerebrum tranſiliunt, undè implicat ex experientia naturali in eodem recurſu per eoſdem aqueductus miſſas remeare aquas, ita ſpiritus per nervos tranſmiſſi, non poterunt per ipſos ſurſum remeare.

Sed proh dolor! renovant hujuſmodi Recentiorum aſſertiones lachrymabile contagium Hobbii Atheiſtæ,qui innixus principio, nihil eſſe in Univerſo præter materiam, eamque perceptionis capacem eſſe, humanæ mentis functiones materiales, & mechanicas eſſe explicabat, aſſerens ibi adeſſe ſenſum, ubi erat motus, ac dum campana pulſata poſt ictum durat tremor, aliquandiu langueſcens eſt imaginatio, & reſpectu habito ad primum ictum eſt memoria,ac ſi ictus novus ante memoriam hanc deſitam superveniat, quid impedit, quominus diſcriminatio, & judicium ſequatur, & ſi vellet addere diſcurſum, eſſet dum ſonum edit; ſunt ergo hæc ſpurciloquia materialia, & groſſa deteſtanda penès quemcumque Philoſophum, & carere videntur illo ratiocinio proprio ſpiritualis animæ rationalis, qua ſe vacare hallucinantur.

Verumtamen utinam me falleret opinio, quin recen-

recentes Medici abnegantes humani corporis facultates, in eiſdem verſentur erroribus, dum per varia machinamenta, fibras, & fermenta corporis actiones vitales, & animales explicantes, nil aliud admittunt, nil aliud prædicant, quam modificatam materiam ſecundum varias figuras, magnitudinem, & motum. Et non ne in puram materiam cadere poſſe ſenſationem, ſenſuſque, & perceptionis eſſe capacem aſſerunt, dum Bruta materialia artificioſa ſine anima vivente eſſe autumant? Dum inquam nonnulli memoriam eſſe imaginantur in fibrillarum cerebri flexuris, vel in ordinata pororum punctura rerum imagines conſervantibus? Indeque ex eorum deletione, & obliteratione oblivionem naſci? dum dicunt moveri corpus vi machinæ, & ſpirituum, & non ex anima, ut probant noſtræ adductæ authoritates? Ac ex mala, bonaque fibrarum affectione, veluti quibuſdam caracteribus operationum animalium, vitalium, & naturalium inſurgere, ut paſſim in eorum libris legere eſt?

Non cadit ò licentioſi Novatores ſenſatio in materia inſenſata, ſentiunt quidem animalia ex principio animæ viventis ſenſitivo à Deo in illis concreato, ut ſuo loco ſatis probatum eſt, non reconditur memoria in fibrillarum flexuris, ſed in ſinu animæ, naſcitur oblivio, quia anima ſubſtantia cogitans deſit cogitare, aliàs ſi rerum notæ imprimerentur in flexuris, & pororum puncturis ſexcentas, & millenas punctorum paginas implerent, nec capitis olla, ſed Urbis archivium maxime in litteratis requireretur: Nec tandem corpus movetur vi machinæ, & ſpirituum, ſed vi animæ principii motus juxta D. Thomam, ſpriritus enim animales ſunt veluti animæ vehicula, & ſine anima non poſſunt eſſe in organo ſenſationum cauſa, anima quippè

movet, & dirigit illos ad animati corporis actiones obeundas.

Incongruum ſane eſt majeſtati animæ, corporis ſui domicilium per neceſſitatem mechanicam adminiſtrari, ſuaſque vitales actiones peragi ſtructuræ, & fermentorum energia, ſivè fluidorum, & ſolidorum motione, quibus ipſa arbitra, & Domina utitur tanquam inſtrumentis, & ratio clara eſt, non enim ſenſata, & Geometra eſt materia, ſed ut optimè in hac re dicit Helmontius, incapax omnis vitæ, & motus, iners, & ſtupida, nulla ſapientia in operando eſt donata.

Nec audiendus eſt Franciſcus Gliſſonius, qui materiam neſcio quo jure vita, ſenſu, & perceptione præditam eſſe ſtatuit, cum ſit abſurdum Atheiſtarum principium impiè propagatum à Spinotio hæretico in ſuis epiſtolis, & tractatu theologico politico, in quibus aſſerit, cæco, & neceſſario materiæ motu omnia fieri, adeo ut non erubeſcat aſſerere, *noſtrarum cogitationum, & intellectualium modorum concatenationem eſſe æternam, neceſſario materiæ motu eventuram*; Sed ſi noſtræ cogitationes, & modi intellectuales moventur, & fiunt juxta diverſa phantaſmata, quæ animæ repræſentantur, & mutantur, excluduntur, & recipiuntur juxta varium hominis arbitrium, quomodo poterunt eſſe æternam concatenationem neceſſario materiæ motu eventuram? Moveatur enim materia quomodocunque velis ordinatè, confusè, rectè, obliquè, ſurſum, deorſum, nihilo potius ad peceptionem accedet, & ratiocinium acquiret, ac ſi omninò iners, & quieta jaceret. Undè adaptiſſima contra Spinotium monitio eſt illa, quam facit Cicero Pater Romanæ eloquentiæ in Tuſculanis de animis in genere diſſerens, aurea verba ſunt: *Animarum in terris origo*

nulla

nulla eſt, quia nihil eſt in animis miſtum, atque concretum, quod ex terra natum, aut factum eſſe videatur, nihil humidum quidem, aut flabile, aut igneum, his enim in naturis (arrige aures ò Spinotie) *nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cognitioniſque habeat, quod præterita teneat, & futura prævideat*, ideoque exclamavit Ariſtoteles lib. 2. de generat. animal. cap. 3. *Omnis animæ potentia corpus aliud participare videtur, idque magis Divinum, quam ea, quæ elementa appellantur.* His ergo doctrinis ſapientiſſimorum Virorum averuncatur ſenſatio, & perceptio in materia, cum ipſa juxta præclarum Mangetū nequeat eſſe capax perceptionis, ſivè ſenſationis.

Hortor itaque vos amatos Recentiores mechaniſmo addictos, ut revertamini ad facultates, ad animæ operationes, ne tandem cum præfato Spinotio finiatis, cuncta fieri ex neceſſitate materialis motus, & etiam ipſas operationes intellectuales. Quod monitum quantæ ſit ſuſpicionis in Recentioribus, videatur quæsò §. 9 tract. 1. num. 5. & cum ſedulitate reflectat verba Authoris recenſiti, & fortaſſe non me longè abberrare, animadvertet.

Sobrii ergo eſtote, & vigilate, quia Diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens, quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide. Et vos oro me habere excuſatum, ſi hoc valde timens contra pravas opiniones, & non contra vos, quos veneror, exclamavi, cupiens vos magni ęſtimare monita, quæ alioquin neglecta perpetuò lachrymabilem inferunt ruinam.

§. IV.

De Facultate Vitali pulſifica Animæ in corde, ac de ejus motu primario per Animam promoto, unà cum reſponſione ad omnes objectiones.

SI anima ad mentem Philoſophorum Principis eſt principium, quo vivimus, movemur, ſentimus & intelligimus, & alibi cauſa motionis eſt, non impar eſſe videtur, poſtquam reintegrationem in genere ad poſſeſſionem corporis humani facultatibus conceſſimus, manutentionem tribuere in aula regia cordis facultati pulſificæ vitali ab anima immediatè profluenti, dum apertè videmus vitam, & perennem in corde motionem adeſſe, adeout Theophraſtus relatus à Galeno 6. de decretis Hipocratis non dubitaverit aſſerere, omnes animę facultates à corde oriri.

Fuit etenim antiqua Philoſophorum quæſtio, an anima reſideret in corde, an in cerebro, ſed hodie talis quæſtio receſſit ab aula, cum anima ſit in toto, & tota in qualibet parte corporis, quamvis præcipuè magis ſplendeſcat in corde, & in cerebro, quam in aliis corporis partibus: Undè authoritates, quas adducam de exiſtentia animæ in corde, erunt in demonſtrationem, & comprobationem ſupradictæ Facultatis pulſificæ vitalis, ita dictæ à munere, quod anima exercet in corde, & non ad effectum demonſtrandi, cor eſſe animæ habitaculum præciſum.

Ad demonſtrandam itaque hanc vitalem facultatem Hipocrates in libello de corde docuit: *Mens enim hominis in ſiniſtro Ventriculo inſita eſt, & reliquæ animæ imperat*, & in ſacris Bibliis cor plerumque pro

pro mente, & anima ſumitur, ut apud S. Hyeronimum cap. 5. *Popule ſtulte, qui non habes cor*, & apud Salomonem in proverbiis cap. 6. & 10. Nec diſcrepant Philo Judæus, & Tertulianus, qui lib. de reſurrectione carnis illud præcipuè adducit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris*. Idem ſentit Albertus Magnus, & Simon Portius lib. de mente humana cap. 7. quin immo Divus Hyeronimus lib. 11. ſuper Matthęum cap. 14. Platonem redarguit, qui animam in cerebro collocavit, affertque in medium verba illa Apoſtoli: *à corde exeunt cogitationes pravę.*

Si itaq; animæ præſentia cùm tanto nobilimento à tot Sanctis Viris, & ſacris authoritatibus conſideratur in corde, undenam hodiè vitalis facultas pulſifica, & anima omnium facultatum radix relegata eſt à corde? & ſola mechanica ſtructura, fibrarumque contractilium ope vita, motus, & pulſus manutenetur? Non ne dixit Gregorius Niſſenus: *Anima eſt eſſentia facta, eſſentia per ſe vivens intellectualis corporeis ſenſuum inſtrumentis, videndique, percipiendique ea, quæ cadunt ſub ſenſu, per ſe facultatem ſuggerens*? Et D. Thomas: *anima unitur corpori non ſolum, ut forma, ſed ut motor*? Ut liceat hodiè vitam, & motum independenter ab anima mechanicæ cordis ſtructuræ tribuere?

Satis enim oſtendunt hanc animæ facultatem in corde frequentes, quæ in ipſo contingunt mutationes, ipſa ſiquidem ex magno inexpectati boni adadventu vehementiores concitat in corde vibrationes, vel ex timore concuſſa ob imminens terribile malum languidas efficit pulſationes, quæ pulſationum diverſitas in aliud refundi non poteſt, quam in animæ bonum, & malum cognoſcentis facultatem, quæ hilaris majori, & alacriori copia tranſfundit ſpiritus, mœrore confecta pauciores, &

torpidiores. Ita animus languens amore in Amaſiis turbatas efficit mutationes in pulſu, ut famigeratiſſimæ ſunt hiſtoriæ de Stratonica apud Antipatrum, & de Pilade apud Galenum in lib. de præcognitione ad poſthumum. Ubi, quas alterationes amor, animorum Tyrannus concitaverit, curioſus legere poterit.

Amor enim, quem Plato definivit *gratiam quandam, quæ rebus ineſt, viſum, auditum, mentemque delectans*, ſub ratione pulchri, & delectabilis animam ad appetendum movet, pulſumque amatorium efficit, ut benè examinat Valleſius lib. 3. controverſ. cap. 14. Undè evidens valdè eſt hæc animæ facultas in corde, per quam pulſus exultat in gaudio, concitatur in ira, compoſitus manet in tranquillitate, & concentratur in mærore, quæ meræ ſunt animæ affectiones.

Elicitur præterea altera probatio ex Hipocrate, qui vocavit cor muſculum fortiſſimum, at muſculi ex communi Anatomicorum ſenſu à facultate animali moventur ab anima per ſpiritus imperata, ita & cor à facultate pulſifica vitali pariter movebitur; id convincere videtur ratio a Borello adducta cap. primo de motu animalium, ex qua apparet, quod muſculi ſunt machina iners, & demortua, niſi forinſecus adveniat facultas motiva, quæ imperium afferat, eoſque à ſopore, & torpore excitet, & ad motum impellat, quidne idipſum accidere debet in corde, ſi cor eſt muſculus, ſicuti cæteri muſculi? Animæque officium eſt muſculos movere, ut in terminis docet Galenus de motu muſculorum?

Ad actionem in corpore peragendam neceſſariò requiritur agens, & iſtrumentum, agens eſt potentia, quæ prodit à ſinu animæ, quæ ſpiritibus imperat: Inſtrumentum verò eſt muſculus, ita in actione

ne

ne pulſifica cordis agens eſt recenſita facultas ſpiritibus imperãs, Inſtrumentum verò eſt cordis propria ſtructura muſcularis, quæ nullam ex ſe tanquam iners, & demortua ſe movendi facultatem habet, niſi forinſecus accedat, & ad motum impellat, ita in ſomno & quiete, ubi muſculi ex ſe licet integri, & illæſi corpus non movent, niſi ab animæ imperio impellantur ad actionem exercendam: Quod verò viceverſa Muſculi cordis ſemper moveantur, hoc pendet ex vitæ neceſſitate, ut inferiùs explicabo.

Parvi propterea momenti eſt illorum opinio, quæ tenet cor in actione pulſifica inflari, & impelli à fervore, & ſanguinis ebullitione, quia pulſat exemptum cor ſine ſanguinis fervore, & ebullitione, nec ſimiliter inflatur, & turgeſcit ab uberi affluxu ſpirituum animalium, quia corpori carneo, & fibroſo undique patulo imprimi nequit vehemens ſpiritus projectivus, quia flacceſcit, veluti videmus in goſſipio, & in ſpongiæ poroſitatibus, in quibus aer à quocunque vehementi vento impulſus inſinuari non poteſt, ut molem inflet, & turgidam reddat, ut etiam advertit Borellus; præterquamquod minimi nervuli ad cor tendentes hanc ſpiritum copiam nequeunt afferre.

Ejuſdem levitatis eſt ſententia Carlettonis, qui aſſerebat, cor moveri à ſanguine, tanquam mola aquaria, quia ſine ſanguine etiam movetur, ſi eximatur, motumque intrinſecum (ut per ſe patet) ex ſe ſanguis non habet, immò nec ſatis eſſe putatur ad ſuperandam propriam reſiſtentiam, feſtucæque pondus.

Undè optimè dicebat Borellus, quod ſicuti ſi grande ſaxum ſuſpendatur, non ſufficit apparatus cuneorum ferreorum, nec aliæ machinæ, ut moveа-

veatur, ſed requiruntur vires motivæ, quæ ingenti vi cuneos percutiendo, & impellendo ſaxum dimoveant, ita liceat in muſculis facilè haberi poſſit copia guttularum ſanguinis, quæ cuneorum ad inſtar intra poros fibrarum inſinuari poſſint una cum adæquata ſtructura, nihilominus ſi deficiant vires motivæ tantæ energiæ, ut cuneolos ſanguineos validiſſimè impellant ad motum, & ad reſiſtentiam ſuperandam, actiones non peraguntur, quæ vis motiva in corde aliunde haberi non poteſt, quam ab anima, quæ, ut probatum fuit ſuperius, eſt radicale motus principium ſpiritibus animalibus utens.

Nec ſuffragatur objectio, quod ſi cordis motus ex vitali animæ facultate per ſpiritus animales delata penderet, in apoplexia motus cordis ceſſaret; cum ſpirituum animalium influxus tunc temporis prohibeatur, quia ſi eſſet maxima apoplexia nervos univerſales obſtruens, tunc certè cordis motus de repentè ceſſaret unà cum vita, ut obſervat Carolus Piſo, qui ex ſeroſa colluvie obſtruente ſextam nervi conjugationem tendentem ad cor ſubitas, & repentinas contingere mortes, affirmavit.

Minuſq; obſtat objectio, quod facultas cordis motiva nunc influeret nunc verò nō, cum inter pulſationes detur periſiſtoles, quia motus influētiæ continuus, & perennis eſt, cū hac tamen diſparitate, quod quando influit in ventriculorum cordis muſculos, non influit in auricularum muſculos, nam quo tempore contrahitur muſculus auricularum reſtituitur muſculus ventriculorum, & hi contrahuntur, cum illi reſtituuntur, cum ſint veluti muſculi antagoniſtæ, & alternativi, & ad hunc motum obſervandum vitæ neceſſitas ab anima pendentis, & cordis ſtructura impellunt.

Her-

Herculeum remanet tandem denodandum argumentum, ſi motus nimirum cordis eſſet animæ facultativus, penderet ad arbitrium voluntatis, & ad placitum prohiberi poſſet; at nequit prohiberi, ergo non eſt facultativus, ſed merè naturalis.

Reſpondetur primò ex ingenito appetitu nemo appetere deſtructivum ſui, & ſi facultas ceſſaret, finiretur vita, ideò eſt conſtans in exercitio ſibi ab æterno Motore præſcripto. Naſcitur ſecundò hæc facultativa influentia ex lege quadam conſuetudinis ex frequentatis actibus introducta, ut ſapiens reflectit Borellus, adeout nequeat ad arbitrium prohiberi, ſicuti multi dantur motus voluntarii, qui à nobis nequeunt impediri, v. g. oculorum palpebræ ex repente inflicto, ſeu imminente malo clauduntur, non expectato voluntatis imperio; ſic Cythariſta ex multiplicatis actibus habitum quemdam acquirit, ut faciliter abſque ulla cognitione, & advertentia actus pulſationis exerceat.

Et demum ſi cor eſt vitæ principium, & vita eſt ab anima juxta illud Geneſis; *Et inſpiravit in eo ſpiraculum vitæ*, ſequitur neceſſariò, non poſſe deſinere cor in pulſando, niſi deficiat anima, & ne vita deficiat, nullo unquam tempore facultas animæ pulſifica voluntariè deſinere debet, ne ſingulæ corporis partes alimẽto, & ſpiritibus à cordis motu impulſis ad vitam conſervandam, defraudarẽtur, quod naturali in nobis vivendi propenſioni repugnaret.

Objiciunt denique, avulſo corde, per aliquod temporis ſpatium permanet motus, & tamen per nervos tunc imperium voluntatis nequit advenire, neque deferri, & per conſequens virtus motiva non prodit ex anima, ſed ex propria cordis ſtructura, & fibris contractilibus tantum.

Reſpondetur, quod in avulſo corde per aliquod

tempus permanet motus, quia remanent ſpiritus imperati, ac ab animæ impulſi, à quibus donec explodantur, fieri debet pulſatio, tanto magis quod fibræ motioni inſervientes, & villi commoti pluries reſtituuntur, & contrahuntur, veluti in æquilibrio donec ad lineam, & ſuæ quietis centrum reſtituantur. Undè cum cor ſit vitæ emporium, & quaſi animę ſedes, turpe eſt, ejuſdem motivā facultatem denegare, & pulſus mechanica neceſſitate prorſus ignota fieri automare, quia, ut nos docet Philoſophus: *Anima corporis motionis cauſa eſt, non corpus animæ.*

Neque tandem dicant, animam, ſive ejus virtutem magnum cordis motum efficere non poſſe, quia juxta authoritatem Maximi Tiri ſerm. 40. expeditiſſimum habet motum, qui vim ſpiritibus, & cordis muſculo confert. Ita magno Divini amoris incendio accenſa anima D. Philippi Nereii adeo ingentes vibrationes, & motiones peragebat in corde, ut non ſolum ejuſdem corpus, ſed ubi erat habitaculum, tremore concuteret, & ampliato pectoris ſinu, quartam, & quinctam coſtam lateris ſiniſtri elevaverit. Undè jure optimo magnus Plato in Timeo, Phedone, & libris Reipublicæ *animam*, ſcripſit, *per ſe ipſam movere, quia habet vitam innatam per ſe ipſam ſemper operantem*, ut clarè ſplendeſcit in cordis pulſatione.

Si autem contingat intenſa animæ adſtractio, ut in contemplatione rerum Divinarum ad ecſtaſim ducentium, tunc non rarò ceſſat & motus cordis & arteriarum pulſatio, ut in aſſumpti comprobationem narratur de Sixto IV. Pontif. Maxim. de Ordine S. Franciſci, qui in ecſtaſi permanſit ſpatio horarum 27. abſque ullo cordis motu, & arteriarum pulſatione, in Critic. Mort. cap. 15. & de nonnullis aliis Sanctis paſſim. Hinc apertè patet cor-

dis

motum non pendere à cæca neceſſitate mechanica, ſeu à ſuppoſitione ſpirituoſi liquoris aliquanus viſcidi, qui guttatim à cerebro influat in nervis ad cor pertingentibus pro efficienda ſiſtole, & diaſtole, ut multi docent Recentiores, ſed ab anima animales ſpiritus movente.

Animæ igitur vitalis facultas, quam ut videret Socrates, feneſtrata corda concupiſcebat, non ideo datur, quia nulla eſt mole diſtincta, nullis lineata figuris, nullis depicta coloribus, ſubſtantia incorporea ſpiritualis, nam anima ſimilis ſuo Creatori, qui mundum gubernat, & non apparet, manet ubique, & nullibi videtur, movet primo omnia, & non movetur, ſuoque concurſu vivificat Orbem, & ſi ſuſpendat, pereunt omnia; ita intellectiva anima corpus adminiſtrat, & non apparet, manet in qualibet parte corporis, & manibus non contrectatur, movet cor, & totum corpus, & ipſa non movetur à corpore, ſuo vitali concurſu membra omnia corporis vivificat, & ſi ipſa à corpore ſeparetur, auris non audit, oculus non videt, nares non olfaciunt, guſtus aboletur, omneſque corporis functiones pereunt. Hinc accomodè dicebat Heraclitus: *Cuncta nocteſcere, ſi ſolem Mundo ſuſtuleris; ita noſtrum corpuſculum, ſi deſit anima, nulla ibi contrectatur vena pulſatilis, ſentiendi nullum ineſt judicium, nullus vitalis halitus, nulla ſpiratio.* Undè de ipſa canere licet cum Poeta.

Atque agitat molem, & parvo ſe corpore miſcet.
Magno in exiguo regnans in corpore Virtus.

§. V.

§. V.

De facultate Animæ in renibus deſignata ſub nomine Expultricis, & Attratricis, ac de novo, & probabiliori modo, quo ſeparatur urina, Recentiorum opinione rejecta, & Microſcopii fallacia ex hac occaſione circa plurima detecta.

INconcuſſa adhuc Antiquorum regula fuit, quod in corpore ad actiones peragendas, duo nimirum requirebantur agens, & Inſtrumentum, agens erat potentia, quæ prodibat à ſinu animæ, Inſtrumentum verò erat membrum bene diſpoſitum pro actione exercenda, quapropter corpus phiſicum animatum duas partes habebat, unam ſcilicet eſſentialem nobiliſſimam, & activam animam dictam, alteram autem materialem ignobilem, & paſſivam, corpus nuncupatum, ex quarum partium connexione omnes corporis humani actiones prodire ſancitum fuit, ac nemine diſcrepante, ſæculorum vetuſtate confirmatum.

Noviſſimis verò temporibus, magis illuſtrata anatome, ad aſylum ignorantiæ facultatum animæ Patrocinatores condemnarunt, & ope mechanicæ ſtructuræ,& fermentorum multas corporis actiones fieri arbitrati ſunt ſine ulla facultatum mentione, & præcipuè urinæ in renibus ſeparationem, quam fieri putarunt per modum cribri juxta variam configurationem analogam urinaceæ ſeroſitati, ita Malpighius, Borellus, Bellinus, aliique Recentiores: Nihilominus, cum illa expulſio, & urinæ ſeparatio, ſeu attractio à renum ſola organica ſtructura fieri nequeat ſine vitalis actus concurſu, & impulſu,propterea hanc animæ facultatē,agentem, nimi-

nimirum activum in tali ſecretione recognoſcendum eſſe cenſeo.

Hujuſmodi aſſumpti probatio elicitur ex Galeno 1. de facult. natur. qui poſtquam ſuo maximo, ac penè Divino ingenio conſideravit, non poſſe organa corporea mollia, & flexibilia ad inſtar alterius machinæ ſolidæ, & firmæ functiones per ſe agere, ad facultates naturales recurrit, dicens de natur. facult. lib. 1. cap. 4. *Ac quod agentis cauſæ ſubſtantiam ignoramus, facultatem eam, ſive potentiam appellamus. Ac ideo nugas eſſe omnes organorum meatus ad naturalis functionis hipotheſes*, dicebat, *niſi facultas naturalis admittatur*. Hanc autem facultatem naturalem ab anima prodire aſſero cum Platone, qui facultates actus animæ ſecundos ſæpius vocavit.

Et ratio eſt, quia ſi corporis functiones mechanicæ, & haud vitales eſſent, animalia non durarent annorum decurſu, ſed pauciſſimorum dierum vix numerum explerent, cum qualibet hora infinitis mutationibus figuræ ſint obnoxia, & minima porulorum conformatio, illicò deſtrueretur, & periret.

Ideò voluit ſapiens Deus, quod corpora mollia, & flexibilia motricem haberent animam, ejuſdemque ſodalitio humanæ actiones reſultarent, aliter quippe non poſſent ſubſiſtere, & perdurare, cum non ſint corpora ferrea, rigida, & dura, ut ſine anima valeant actionem exercere, & renes urinam ſecernere, ipſamque expellere, nam motrice anima carentes inertes, & demortui prorſus evadunt.

Jure meritò igitur ſanciverunt Theologi, animam eſſe actum corporis organici, quo indigitarent, ad omnem actum ipſam concurrere vel dependenter à materia, vel independenter; Unde cum ſecernere urinam, non ſit eſſe purè materiale, ſed actum

actum ex anima, & organo profluentem, ſequitur inde non ſufficere ad urinæ ſecretionem modificatā materiam per modum cribri, ſed requiri facultatem animæ per ſe moventis, ut diffusè probavimus in §. ſecundo de poſſeſſione facultatum in humano corpore.

Quamobrem, ut magis hæc veritas eluceſcat, ſub trutina ponenda venit Recentiorum hipotheſis de urinæ ſeparatione; dicunt enim ipſi urinam in renibus ſecerni per modum cribri, & variam fiſtularum configurationem, cum renes ſint glandulæ miliares, quæ ſuis meatibus, & foraminibus analogis figuris particularum fluidi urinacei, illud à ſanguine ſeparant per arterias impulſum; contra quam opinionem arguitur primo cum Paulo Mino.

Quod depuratur à cribro, non eſt liquidum, in renibus eſt liquidum, ergo urinæ ſeparatio ſuccedere non poteſt per modum cribri, conſequentia patet, quia fluida liberè moventur, nec in mutuam coalitionem conveniunt, ut ſequitur in ſolidis, quæ ob immediatam adhæſionem ſuperficierum, quo rapta una portione, reliquæ ſubſequuntur; diſparitas etiam palpabilis eſt, quia nulla eſt analogia inter ſolida depurata in cribro, & inter fluida ſecreta in renibus.

Arguitur ſecundo, ſeroſitates urinæ multis, variiſque ſalibus ſcatent ex diverſis alimentis elicitis, ergo figuræ glandularum renalium, quæ ſemper uno, eodemque modo ſe habent, ad illas ſecernendas non poſſunt eſſe proportionatæ; antecedens probatur cum conſequentia ex doctrina Petri Caſſendi, qui ad demonſtrandum vacuum, in exemplum aquam adducit, in qua ſolvi, & recipi non poteſt magna quantitas ſalis unius generis, ut v.g. ſalis communis, quod affuſum implet omnes cellu-

cellulas quadratas ſibi proportionatas, quibus jam impletis, ſi denuò ſal commune affundatur, integrum remanet;ſi verò projiciatur aliud ſalis genus, ut v.g.alumen, quod habet particulas octendricas, ſolvetur in aqua, tanquam ſi ſal commune ibi non eſſet, ideoque clarè deducitur, quod multa ſalium genera non poterunt ſecerni ab una ſola glandularum, & canaliculorum figura.

Tertiò magis ſplendeſcit hæc veritas, quia per renes efflvunt non ſolum urinæ diverſi generis, & variegatæ, ſed etiam pus, ſanguis, calculi, & alia multa etherogenea, quæ longe diverſam figuram à particulis ſalinis in urinæ aquoſitate ſolutis obtinere videntur, & conſequenter hæc figurarum analogia cum fluido urinaceo nequit eſſe cauſa ſufficiens ad ſecernendam urinam.

Quartò inſubſiſtens quoque apparet talis opinio, ſi Diabetem conſideremus, in qua ex majori ſalium urinæ affluxu glandularum pori non ſolum magis aperiuntur præter naturam,& ex conſequentia prima configuratio deſtruitur, ſed etiam aliquando exulcerationes ex ſalium acrimonia oriuntur, quæ penè totam renum ſtructuram depaſcuntur, & tamen cum urina ſanguis impulſus non progreditur, ſignum evidens, quod urinæ ſeparatio non pendet ex ſuppoſita analoga pororum configuratione.

Præterea qualis ſit hæc pororum configuratio, quale fermentum, quave mechanicæ ratione iſta ſecernicula inter ſe differant, & quomodo tam diverſæ naturæ liquores à glandulis ſeparentur, adhuc latitat in Democriti puteo, adeo ut cum cordatis Anatomicis exclamare cogar, modos uſuum partium à Veteribus aſſignatos falſos eſſe,dicimus, at veros nondum invenimus, calumniamus quidem

dem noſtros primos Præceptores, qui facultates occultas admiſerint, & confugientes in hodierna hypotheſi ad figuras, ad fermenta, magis occulta admittimus, eorum propriam naturam neſcientes. Ignota quippè glandularum ſtructura non ſubjacet autopſiæ, nec prætenſo microſcopio verè attingitur propria glandularum conformatio, quia centrum iſtius viſionis eſt minutiſſimum, ac unita diſcreta apparent, & continua diſcreta, ut advertit KerKingius in ſpicilegio anatom. obſer. 93. ac ſemper verificatum remanet, quod ars non poteſt antecellere opera naturæ, & quæ denuo obſervantur, eſſe ludibria vitri.

Mendax microſcopii viſio, & animadverſionis KerKingii confirmatio deducitur ex ſemine humano, ubi Jacobus Silvius Medicus Batavus in noviſſima idea de febribus pag. 17. prævio microſcopio obſervat compendium, & veluti quaſi lineaturam homunculi. Viceverſa Antonius Leuuenhoe Delphenſis relatus à Mangeto tom. 1. lib. 1. verbo *Animal* pagin. 69. mediante microſcopio, obſervat in humano ſpermate plurimorum animalium inſecta numeroſiſſima, ac indè novam introduxit hypotheſim, animalia omnia hiſce inſectis originem ſuam debere, non autem ovo materno, ut perperam voluat alii Recentiores.

O bone Deus, poſſumus ne magis ridiculas, & nænias inſubſiſtentes audire? Gloriantur hodiè columbi ad inſtar novum in arte medica detexiſſe Orbem per anatomiæ, & microſcopii opem, quando abſurda contradictoria propalant ſapientium tali exploratione indigna, & reverà hęc nova Recentiorum inventa *ſunt Medicea Stellæ, hoc eſt ludibria vitri*. Ubi nunc microſcopii fides? ubi locorum Microſcopii veritas? Obſevat enim unus Micro-

croſcopiſta in ſemine humano compendiũ homunculi, obſervat alter in ipſo plurimorum animalium inſecta numeroſiſſima; viceverſa major Recentiorum cætus integrum hominis compendium in ovulo contineri obſervat muliebri, ſemenque humanum ſolummodo maternum ovum irradiare pro partium explicatione; Si igitur compendium partium humanarum eſt in ſemine virili, quomodo poteſt eſſe in ovulo muliebri? Num triformis evaſit generatio his noſtris temporibus? ut loco unius hominis perfecti naſcantur Briarei, Argi, & Iani bifrontes? Num humana fabrica ex plurium inſectorum putrilagine coſlata eſt? Deh vos pudeat, tandem, vos puduiſſe nihil.

Ulterius nonnulli Recentiores, ut Joannes Nardius Florentinus noct. genial. prima comment. in lib. Hip. de uſu liquidorum, Dominicus Panarolus pempt. 4. obſervat. 36. & alii per microſcopium in aceto vermiculos obſervare, iiſque conſtare narrant. Viceverſa Bartolinus cent. 4. hiſt. 13. Guernerus Rolfincii, aliique de regno Recentiorum, hos vermiculos in aceto excludunt, & illi revera, qui in aceto videntur vermes, ſunt exilia veluti argentea filamenta in liquidis natantia. Vide igitur benige Lector Novatorum inconſtantiam, & contemplare quanta ipſis, qui Veteres calumniant, ſit adhibenda fides. Unde hic optimè congruunt aurea Hieronymi Sbaragliæ verba vigiliar. pag. 395. *Neoterici, bona venia eorumdem, ſæpè in hoc ſibi plurimum tribuunt, ut multo plura ſe detexiſſe credant, quam reverà detexerint.*

Tandem ut undè egreſſi ſumus, revertamur, hæc urinæ cribiſiormis ſeparatio redditur inveridica, ex reflexione, quod ſicuti experimur, per ulla ſearpantia cribra, ſeu chartas empeureticas nobis non

Digitized by Google

licere in ſanguine calido, & fluxili ullam ſeroſitatis ſeparationem facere abſque ſanguinis miſcela; ita à pari fieri nequibit in renibus, ubi ſanguis eſt calidus, & fervens: Quamobrem inter Recentiſſimos Mangetus tom.1. verbo aquas pag. 192. Secretionem urinę in renibus fieri per facultates fatetur, quamvis affectatę novitatis nota dicat *per vim quandam magneticam, cujus attractiva particulæ quædam humore ſanguineo confuſę ſingulis arteriarum appulſibus extricentur, foraſque proliciantur, & ſic de reliquis partibus ſecretioni dicatis cogitare libet, quia non poteſt reddi ratio, cur potius hoc, quam illud ſecernant*, ac per conſequens configuratio cribiformis in renibus non eſt cauſa effectiva ſeparationis urinæ.

Nec alii, papillarum figuram non ſufficere videntes pro ſecernenda vrina, recurrant ad fermentum coagulativum, quia ubi ſit hoc fermentum, & undè talem habeat facultatem, nunquam oſtendere poterunt, & Chriſti admonitione, & reprehenſione ſectatores fermenti digni erunt, dicendo: *Cavete à fermento Phariſeorum*, quod proditorias, & eluſivas conventiculas indigitat.

Rejecta itaque hujuſmodi opinione, magis probabiliter proponitur, fieri urinæ in renibus ſeparationem, quia arteriæ emulgentes deſinunt in minimas, & capillares per renum ſubſtantiam, (quę realiter nil aliud eſt, quam canaliculorum, & fibrarum congeries) indeque in papillarum capitibus obliterantur, ex quo ſequitur, quod per illas ſubtiliori ſanguinis parti ingreſſus conceditur, qui in renum nutritionem ſecedit, remanens autem pars craſſiuſcula ſanguinis incapax ingrediendi, deviat, & reaſſumitur per venas; hinc per impulſum arteriarum, diaframmatis, & renum preſſionem fluxibilior ſeroſitas percolatur per glandulas papilla-

pillares, in quas deſinunt arteriolæ in pelvi ad ureteres, talique modo renes urinam ſecernunt. Hanc autem doctrinam ex magno Galeno depromſimus, qui lib. de anatom. vivorum cap. de anat. renum hæc aurea verba protulit: *Sunt enim renes ex ſolida ſubſtantia, ut ſua duritie, & ſoliditate comprimant ſanguinem cum ſuperfluitate ad modum duorum nodorum comprimentium aliquot meatus, rectificando ſanguinem ad ſui nutrimentum, reprimendo aquoſitatem.*

Si tandem credas, his, & ſequentibus auditis, hanc urinæ ſegregationem fieri poſſe ſine facultatum ope aberrare mihi videris ò Lector, quia impulſus, & motus ille in ſecernenda vrina requiſitus ab anima primo promanant, quæ ad mentem Platonis lib. 40. de legibus dialog. 10. *eſt motus principium, eſt quæ ſe ipſam movet, cuncta gubernans, & in omnibus, quæ moventur habitans*, ideo aliquando Galenus facultatem, & animam idem eſſe ait lib. 9. method. cap. 10. vocavitque facultatem vim animoſam, quæ propriiſſimo termino vitalem noſtrum animæ concurſum enunciat in actionibus, quæ exercentur in humano corpore.

Ex quo concludimus ad ſecernandam in renibus urinam non ſolum neceſſariam ipſorum mirabilem ſtructuram, ſed etiam requiri vim quamdam motricem, ſive facultatem à forma humani corporis promanantem, ac ita propulſo ſanguine per arterias emulgentes, pars ipſius ſubtilior per minimas, & capillares arterias in renum nutritionem recipitur, pars autem craſſior reaſſumitur à venis, indeque ſeroſitas fluxibilior per compreſſivum diaframmatis, & muſculorum motum, renumque duritiem exprimitur per glandulas in pelvi, & à pelvi ad ureteres, ac nova iſta, & vera hypotheſi clarè pa-

tet modus urinæ in renibus ſeparationis,uſque dum in Galenicæ veritatis puteo defoſſus.

§. VI.

De aliis nonnullis Dolæi, Vuillis, Helmontii, & Carteſii erroribus circa Animam, ejuſdemque facultates.

ERrabundi Recentiores non quò eundum, ſed quò itur, optima omnia ea putarunt, quæ ſibi in mentem venerunt pro novitatis oſtentatione: Unde non ſolum hucuſque adnotatos, & de quibus mentionem fecimus in primo antecedenti §. patraverunt errores, ſed inſuper confutandæ remanent aliæ erroneæ opiniones, quæ irrepſere circa animam, ejusdemque facultates.

Et primo Vuillis accedat, qui cap.8. ut etiam admonet Delius Bilinguis diſcept. problem. 11. dicit. *Ob id interdum facultates loco motivæ vacillant*; In qua aſſertione vacillare potius videtur ejuſdem cerebrum, quam facultates locomotivæ, quia facultas locomotiva exit immediatè ab anima, quæ per ſe, ut ſpiritualis eſt incapax vacillationis,quod verò exeat ab anima colligitur ex D.Thoma 2.contra Gentiles cap.35. in quo docet, *quod actio virtutis motivæ eſt media inter actus voluntatis, & effectum*,ideoque non poteſt vacillare, niſi illa vacillatio in vi illa exteriore exequente in muſculis, & nervis diffuſa refundatur, quam etiam conſiderat D.Thomas independenter ab anima opuſc. 43. cap 5.

Abſurda præterea mihi videtur præfati Vvillis opinio de animæ potentiis, locando nimirum ſenſum communem in corpore ſtriato, imaginationem in calloſo, in cortice, ſeu corpore cinc-

cineritio cerebri memoriam, quaſi prædictæ potentiæ eſſent purè materiales, & mechanicæ independentes ab anima ſpirituali, quæ illas in ſuo ſinu continet, & diverſimodè ab enunciato modo operatur. Quid enim reſponderet recentiſſimis obſervationibus Joh. Jacobi Vveferi, & Caroli Kayge relatorum à Mangeto Bibliotecha anat. tom.2.part. 3. de capite, in quibus narrant, duas puellas, & unum fætum natos ad vitam ſine cerebro, & ad Amatum Luſitanum, qui Puerum ſine cerebro per tres annos vixiſſe, narrat de prax. Medic. adm. lib. 1. obſerv.4. In quibus porrò locum non haberet, in quo poneret ſenſum communem, imaginationem, & memoriam, nam cerebrum deficit dictarum potentiarum ſedes. Undè ſatis conſonum hic repetere mihi videtur aliàs adducta Ariſtotelis, & Ciceronis documenta litterariæ Reipublicæ Prinicipum. Ariſtoteles inquam docet: *Omnis animæ potentia corpus aliud partecipare videtur, idque magis Divinum, quam ea, quę elementa appellamus*: Cicero autem repetit: *His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cognitioniſque habeat, quod prę terita teneat, & futura prævideat*, quamvis ubi inſtrumenta apta habeat, ibi exerceat anima munus ſuum.

Parili modo incongrua mihi videtur opinio Carteſianorum, qui glandulam pinealem in cerebro locatam ſedem eſſe animæ, & ſenſationum centrum autumarunt; ità quoque Helmontius poſuit animæ ſolium in ſtomacho, & præcordiis, vilibus quidē ſoliis majeſtati Animæ ubique imperanti, & in qualibet parte corporis reſidenti, & non his incogruis locis, ut ex animæ definitione à Theologis admiſſa, & communiter recepta; quamvis ex organorū proportione magis refulgeat in corde, & in cerebro, quia ſi anima uni parti, aut organo veluti glandu-

læ pineali,& præcordiis alligata eſſet,omnia intelligere,& movere non poſſet,ſed tantum pro determinata illius actione ageret, & videretur eſſe aliquid materiale: Qua de re erudiat nos Marſilius Ficinus, qui loquendo de modo, quo anima corpus actuat, ait: *Quid igitur agant formæ in corpore, quando ipſi eſſe ſuum communicant, penetrant ipſum undique eſſentia ſua virtutem eſſentię ſuæ dedicant illi, cum verò ab eſſentia lucatur eſſe, & à virtute profluat operatio, coniungendo eſſentiam, impartiunt eſſe, dedicando virtutes, operationes communicant, ut ex animæ, corporiſque congreſſu unum evadat eſſe animalis, operatio una.* Hæc utinam doctrina revolueretur in mentibus Recentiorum, qui mechaniſmo addicti facultates relegant, & modificatæ materię plura, quæ fieri nequeunt ſine anima, tribuunt.

Declarat ulterius animæ præſentiam in toto corpore Julius Cæſar Scaliger exercit. 307. inquiens: *Dubitare videris, an memoria inſit in omnibus corporis partibus, quin dico tibi intellectum eſſe in pedibus, una enim in nobis anima ſuis omnibus undique ſtipata facultatibus, nempe eſſentialibus ſibi, ubi verò inſtrumenta ſint, ibi exercere actum ſuum, ipſam poteſtatem, ſi enim oculus eſſet in digito, videret digitus per oculum, nulla àccita à cerebro potentia.* Quæ ſanæ Philoſophorum doctrinæ Sanctorum Patrum ſtabiliuntur fulcimentis, & à tot recenſitis erroribus Sectatores reddunt immunes, utpote quia non conſiderant homines ſtatuas artefactas, & automata ſimulacra ſe moventia per fibras motrices, ſuccos nerveos, & ſanguineos, ut apud Recentiores, ſed homines ſe movere vi animæ, ejuſdemque facultatum, ac per ipſam vivere vitam, nos apertè doceant.

Nec ſilentio tandem prætereunda videtut Dolæi opinio in Encycloped. medic. in præfatione ad Lectorem

ctorem circa animã ſenſitivam, quam cum anima rationali unitam admittit, etenim non ſolum errat, ut fusè probatum fuit in antecedenti Scrut. 2. ſtabiliendo animam ſenſitivam in corpore humano rationali animæ unitam, ſeu ſubordinatam, cum humanum corpus unica forma, nimirum anima intellectiva gaudeat, ſed inſuper errat circa attributa hujus animæ ſenſitivæ dicendo: *Circa animam ſenſitivam nihil aliud intellectu conſequi poſſum, quam auram quandam Diviniorem in prima creatione ſenſu donatam toti Mundo coextenſam, cujus particula in ſubjecto ritè diſpoſito contenta functiones tales edit, quales in animalium corporibus fieri cernimus, & admiramur.*

Siquidem valdè repugnare mihi videtur, animam ſenſitivam caducam, & mortalem auram quamdam eſſe Diviniorem, quia pro aura Divina communiter Philoſophi animam rationalem intelligunt, quæ diſſolutioni non ſubjacet; undè ſi aura eſſet Divinior eſſet nobilior anima rationali, necnon æternam, & immortalem eſſe deceret ad formam Æterni, Divinique Spiritus, à quo promanat, juxta axioma Philoſophicum: *Omne ſimile generat ſibi ſimile*, & per conſequens animalia ſicut & nos æternam animam poſſiderent, & cum ipſis denuò gratulari liceret.

Plaudite cornupetæ, ſalientes plaudite vaccæ,
Cornigerique boves, ſetigeræque ſues.
Vita equidem veſtris animis è funere reſtat,
Reſtat, & in corpus poſſe redire novum.

Fuiſſe verò hanc auram Diviniorem in prima creatione ſenſu donatam, totique Mundo coextenſam, falſo laborat judicio, quia nec ſacer Cronologiſta Moyſes, nec ullus ſacer Interpres hanc doctrinam docuere, quibus in re tanti momenti fides præſtanda eſſet, non autem Dolæo, qui non tenet locum

inter laureatos Interpretes, quando præcipuè Mundum ſentire, nobis mente percipere non licet, quamvis non defuerint Philoſophi, qui animam perperam tribuerint, quæ, qualiſque fuerint, neſciebant, & noviſſimis temporibus ad multiplicanda Recentiorum abſurda Gliſſonius, & Campanella facultate ſenſitiva, & cognoſcitiva repleverunt Orbem Terrarum, ſed magnalia dicere, & non probare, eſt idem ac ſomnia decantare, ac propterea non indigent ulteriori diſquiſitione, cum hic quadrent, quæ aliàs diximus in confutanda ſententia de anima Mundi.

SCRUTINIUM ULTIMUM.

De humana Vita procedente ab Anima corpori unita, & de nonnullis erroribus circa Mortuorum reſurrectionem contra noſtros Recentiores.

IN hac nova Recentiorum Republica in appendicem tot adnotatorum errorum locum etiam habere videtur opinio dicentium, humanam vitam non pendere ab anima unita corpori, *ſed à juſta vel æquali, regularique ſanguinis particularum, & chili inſenſibilium comixtione, ac unione, ad quam requiratur æqualis propertio gravitatis, & levitatis, figuræ, magnitudinis, numeri, ſitus, & motus*, ut primò ſcriptum reliquit Jacobus Silvius Batauus in ſua noviſſima febrium idea de Vitæ definitione. *Vel à ſanguine, & animalibus ſpiritibus vitam, & omnia vitam conſequentia conſiſtere*, ut Vvilliſius pharm. rat. p. 1. S. 6. cap. 1. *Vel vitam ab optimo ſuccorum periodo, & fermentatione dependere, motumque corporis ab hac anima immortali non eſſe, cum corpus inſtar horologii aquatici, ſeu hidroauli tantum moveatur*, ut ſentit Blanceardus inſtit. Medicinæ cap. 29. de animæ operibus.

Vel

Vel vitæ cauſam eſſe fluidorum circulationem, & motum. Ita Joh. Helfrici Junghen cap. 2. de principio corporis noſtri vitali, vel ut nuperrimè volunt alii Recentiores, *Vitam eſſe conflatam ex aſſiduo regulari ſolidorum, & fluidorum motu, ſeu à continua ſolidarum, fluidarumque partium motione, ſeu vitam conſiſtere in motu, & ſenſu*; alii tandem imitantes Hermeticos in reſpiratione illam poſuere iuxta Galenicam doctrinam lib. 6. de loc. affect. cap. 5. in qua habetur. *Spirantem non vivere, & viventem non reſpirare, impoſſibile eſt.* Quas humanæ vitæ deſcriptiones ſi ſedulò Lector reflectat, videbit Epicureas eſſe, & animæ humani corporis formæ excluſionem portendere.

Quantum revera elongentur à germano veritatis ſenſu hæ Novatorum opiniones indicantes ſolummodo partes, & inſtrumenta, quibus manutenetur vita, non autem quidditatem ipſius vitæ, id manifeſtè demonſtrant primò conſideratio in Geneſi de humana creatione cum anima rationali, & Reſurrectio mortuorum per ſpiritus in corpore introductionem in Ezechiele oſtenſa. Secundò faciunt contra Recentiores, & confirmant noſtram concluſionem conſiderationes, quæ fiunt circa vitam, necnon Sanctorum Patrum authoritates, quas in plenam confirmationem adducendi eſt animus, cum quibus fundamentis firmiter ſtabit, humanam vitam pendere ab anima in humano corpore unita contra tot adductas Recentiorum ſententias.

Siquidem formavit Deus hominem in damaſceno campo de limo terræ, & poſt formationem inſpiravit in eum ſpiraculum vitæ, animam nimirum rationalem, *quæ facit eum vivere, & ſpirare*, ut præcisè ait Cardinalis Hugo in Geneſis explicatione,

en ergo patens, quod actus vitalis non reſultat ex fluidorum circumvolutione, ſed ab anima, quæ facit eum vivere, & ſpirare, quamvis pro manutenenda anima in corpore omnia, quæ ſunt in ipſo, bene diſpoſita requirantur.

Rem clariorem reddit viſio illa Ezechielis 37. cui volens Deus omnipotens oſtendere mortuorum reviveſcentiam mediante anima, eduxit eum in ſpiritu, & dimiſit in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & dixit ad eum: *Fili hominis putaſne, vivent eſſa iſta?* Deinde dicit Dominus Deus oſſibus his: *Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis; & dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum, & vivetis. Factus eſt autem ſonitus, prophetante me, & ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa unumquodque ad juncturam ſuam, & vidi, & ecce ſuper nervi, & carnes aſcenderunt, & extenta eſt in eis cutis deſuper, & ſpiritum non habebant &c. & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt, ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.*

Ex qua Prophetica viſione non ſolum erroneas deducimus Novatorum hypotheſes, humanam ſcilicet vitam eſſe conflatam ex aſſiduo regulari ſolidorum, fluidorumque motu, ac à ſanguine, ſpiritibuſque animalibus conſiſtere, quia licteralis ſenſus eſt: *Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis. Dabo vobis ſpiritum, & vivetis: Et ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt.* Nec enim ad vitam habendam ſuffecit, omnia corporis materialia conſtitutiva acceſſiſſe, ſed neceſſaria fuit ſpiritus, ſeu animæ introductio pro obtinenda vita, ut ſupra patet ex illis verbis; *Acceſſerunt oſſa ad oſſa, & ecce ſuper nervi, & carnes aſcenderunt, & exenta eſt in eis cutis deſuper, & ſpiritum non habebant;* Nimirum neque

motum

motum, neque vitam à ſpiritu animæ profluentem.

Nec hic diſtinguant Recentiores duas vitas unam corpoream, & aliam formalem, quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate, & à ſacris doctrinis ſupra allegatis in Scrut. 1. de Anima, & §. 3. de Humani corporis Facultatibus hic benigniter reaſſumendis vnam eſſe vitam ab una anima profluentem, ſatis apertè deducitur.

Sed inſuper confutantur in hac occaſione Digbus, & Gregorius Piſida, quos refert Franciſcus Redi in ſuo libello de Inſectis adumbrantes altiſſimum fidei Chriſtianæ Myſterium de mortuorum reſurrectione per rationes naturales, deſumpto exemplo cancrorum marinorum, qui ſub ſale chimico præparato renaſcuntur, & exemplo Fænicis, quæ ex ſuo cinere remeat ad vitam, quorum ſequelam imitatus eſt Paracelſus confutatus à Franciſco Marino Perſenno com. in Geneſi cap. 44. contra eumdem, quando revera mortuorum reſurrectio impoſſibile eſt, quod verſetur in naturæ poteſtate, cum ſit totaliter Divina, & miraculoſa, ut apparet ex præfata Ezechielis viſione.

Ulterius Petrus Borellus hiſt. & obſerv. rar. cent. 4. obſer. 62. à vegetabilibus ad animalia extendit reſurrectionis myſterium, & licita necromantia in phialis Patrem, Aum, Ataum, & quemcunque volveris, acceſſuros docet, modo quis eorum cineres, vel oſſa ſervaverit. Verumtamen non ultra cunctabor hujuſmodi blaſphemos confutare, cum ſatis notum ſit, reſurrectionis miracula artis ſpheram traſcendere, vireſque naturales ſuperare, necnon talia experiri, meras eſſe Dæmonis illuſiones, quas prius immiſit in hæretici mente Paracelſi, qui manes habitare in cinere rerum, prædocuit.

Secundo vitam conſiderare poſſumus, vel eſſentia-

tialiter, vel accidentaliter, eſſentialiter vita eſt ipſa animæ informatio, ſeu ipſius præſentia, ut docet Alexander Aphrodiſ. lib. 2. de anima cap. 10. quo ſenſu Ariſtoteles 9. Metaphiſ. text. 16. *Vitam in anima eſſe profitetur*, accidentaliter verò juxta Mirindolum eſt quęcunque informantis animæ in corpore manifeſta operatio, ſive actus ſecundus ipſius animæ, ita Galenus lib. de utilitate reſpirat. cap. 1. *actio animæ vita eſt*, inquit, & D. Bernardus lib. de libero arbitrio, & gratia, vitam internum motum appellat, & clariùs hoc explicat loquens de vita, & quinque ſenſibus per hæc verba: *Conſidera ò anima quid impendas corpori tuo, & invenies ſine dubio, quod vitam ei, ſenſumque miniſtras*, quapropter quocunque modo conſideretur vita, ſemper ejuſdem radicale principium repetendum eſt ab anima informante.

Tertiò vitam conſiderare debemus, prout principaliter promanat à fonte, & Authore vitæ, nimirum excelſo Deo Creatore, & ſecundariò prout eſt in creaturis. Reſpectu igitur Creatoris ex Divinis oraculis colligitur, nempe: *Ego ſum via, vita, & veritas. Vivo Ego. Ille ex ſe ipſo eſt, & vivit, & eſt ipſa vita, ex Illo, in Illo, & per Illum ſunt omnia. In ipſo erat vita, & vita erat lux hominum.* Quo verò ad creaturas vitæ radiorum participes redditæ ſunt à Dei immenſitate, & benignitate, quæ inſpiravit in eis ſpiraculum vitæ, ſcilicet animam, ut magis præcisè repetit Moyſes in Geneſi cap. 2. *Factus eſt homo in animam viventem*, quod clarè indicat quod anima vivit, & vivere eſt ab anima à Deo immiſſa.

Itaque cum homo nobiliſſima omnium creatura fuerit immediatè formata à Deo tam ſecundum externam figuram, quam internam partium admirabi-

rabilem ſimetriam, ut tradit D. Thom. q. 91. cum Sanctis Patribus, nec tamen per hoc dicatur ſimilis ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ſed illa ſimilitudo conſiſtat in anima vivente, ſequitur perinde principale conſtitutivū humanæ vitæ eſſe animam, quæ reddit hominem ſimilem Deo vivo juxta confeſſionem Divi Petri: tu es Chriſtus Filius Dei vivi, & toto Cælo aberrare Recentiores Medicos, qui tam vili, & materiali modo humanam vitam tradunt dependentem ſolummodo ex ſolidis, & fluidis, vilibus, & caducis inſtrumentis.

Tanto fortius, quod id comprobare videtur experientia; nam ſi anima rationalis vitæ principium in aliqua contemplatione profundè immergatur, adeo ſenſus noſtri corporis deſtituti & ſtupefacti remanent, ut etiam ſi ab agentibus ſenſibilibus pungantur, tangantur, nihil ſentiunt, nihil percipiunt, actuſque vitales feriari videntur. Et aliquando cordis ipſe motus obliteratur, ut eveniſſe in Ecſtaſi Sixt. IV. ſpatio 27. horarum, ſupranarratum fuit.

Vitam ulterius eſſe ab anima elicitur ex Geneſi in quincto, & ſexto die creationis animalium, in qua habetur: *Producat terra animam viventem, producant aquę reptile animæ viventis: & univerſis animantibus, quæ moventur in terris, & in quibus eſt anima vivens.* Quæ ſane ad evidentiam probant, vitam, & vivere principaliter conſiſtere in anima, quæ quouſque corpora informat, eo vitam degunt, ipſa verò in Brutis pereunte, & in hominibus diſcedente, vivere deſinunt, mortui, & ad motum inertes.

Et porrò quo ad primam Jacobi Silvii opinionem, inveriſimile admodum eſt, vitam poſſe pendere à juſta, vel æquali, regularique ſanguinis particularum, & chili inſenſibilium comixtione, ac unione, ad quam requiratur æqualis proportio,

&

gravitatis, levitatis, magnitudinis, numeri, ſitus, & motus, ex eo quia vita viventium tot viciſſitudinibus expoſita perenni, & continuo ſanguinis circulo revoluta, & commota vix momento temporis perduraret, ac eſſet impoſſibile ſervare proportionem de gravitate, levitate, figura, magnitudine, numero, & ſitu, ſanguis etenim præter diurnas animi commotiones, ſex rerum non naturalium viciſſitudines, quotidianas Chili abſque menſura receptiones, continuas caloris, & frigoris alterationes, quas ſemper patitur, tranſit inceſſanter de arteriis majoribus ad minores, de minoribus ad minimas, & capillares, reaſſumitur à venis minoribus ad majores, & de majoribus, ad maximas, ac per varias glandulas ſecernitur, & unde nam in tot mutationibus poterit obſervari proportio figuræ, magnitudinis, numeri, & ſitus, gravitatis, & levitatis pro vita efficienda? Et ſi per impoſſibile talis concederetur proportio, unde datum eſſet his, quam non habent, vitam tribuere? ſi nemo dat quod non habet.

Non minori inſubſiſtentia laborant aliæ adductæ Recentiorum opiniones, quibus inſinuant, vitam eſſe à ſanguinis circulatione, & motione, à ſpiritibus, & motu, à fluidis agentibus in ſolidis, nam neque ſanguis, neque fluida, neque ſpiritus, neque ſolida intrinſecè habent facultatem loco motivam, & ſenſitivam, quæ neceſſariò requiritur in vivente, aliàs vivere diceretur, qui neque ſentit, neque ſe movet. Quod autem dicta fluida per ſe non habeant ſenſum, & motum intrinſecum, hoc patet in ſubitanea ſanguinis emiſſi acquieſcentia abſque ullo ſenſus, & motus durabilis veſtigio, quod autem partes ſolidæ utroque pariter careant, ſpecimen dedimus tractantes de cordis motu in antecedenti

denti Scrutinio, cum igitur obſervemus in ſingulis viventium partibus motum, & ſenſum, recurrere neceſſe eſt ad illa inconcuſſa philoſophica principia: *Omne, quod movetur ab alio movetur*, ſed hoc aliud nequit eſſe, niſi anima, quæ non ſolum ex D. Thoma, ſed etiam ex Platone lib. 40. de legibus dialog. 5. eſt motus principium, & conſequenter motus, qui neceſſariò requiritur pro conſtituenda vita, pendet ab anima vivente: Sic etiam dicitur: *ubi eſt ſenſus ibi, eſt vita*, ſed ſenſus non poteſt eſſe niſi ab anima juxta D. Auguſtinum de ſpiritu, & anima cap. 4. & 13. & diffusè in Scrutinio ſecundo de forma corporis humani §. primo, & in Scrutinio primo de Anima brutorum, ergo hæc duo vitæ indicia, nimirum ſenſus, & motus ſedem, & manutentionem habent in anima, quæ eſt principium motus, & ſenſus, & per conſequens ſemper vita ſurgit ab anima, ſivè velint, ſivè nolint Recentiores.

Non me latet æſtrum eſſe poeticum, vitam, & animam in ſanguine conſtituere; ita in bello Trojano ſæpè cecinit Virgilius: *purpuream evomit animam, & vitam cum ſanguine fundit*, ſed hæc ſunt intelligenda propter neceſſitatem ſanguinis requiſitam pro manutentione vitæ, & animæ in corpore, non autem quo ad exiſtentiam vite, & animæ in ſanguine, prout etiam eſſe intelligenda verba Levitici alio loco explicavimus. Ineſt itaque omnibus vita per animam, ideoque vita fuit definita à cordatis Viris, quod *ſit actus animæ, actus ſcilicet ſecundus in animatis potentia vitam habens in organico corpore*, ideſt ita conſtituto, ut juxta organorũ debitam ſtructuram, & rectam fluidorũ temperiem, & mixtionem anima informans, tanquã in convenienti ſubjecto ſuas edere valeat actiones, & operationes.

Et hic notandum ſeriò eſt, quod à dictis authorita-

ritatibus, & rationibus omnino excluſam eſſe apparet vitam illam corpoream ab anima independentem, quam ponunt non pauci Recentiores, non intelligentes Molinisticum eſſe ſubtegmen, & aſtuti Serpentis dolum latere, ut paulatim paulatim corporea anima admiſſa, incorpoream, & inviſibilem prorſus negligant.

Qua in re animadvertendum eſt, quod vita non ſolum eſt actus animæ in homine, ſed etiam in Brutis, juxta illud Geneſis *producat terra animam viventem*, cum hac tamen differentia, quod in brutis eſt actus animæ mortalis, & perituræ, in homine verò actus animæ æternæ, & immortalis; unde quia Carteſiani Philoſophi animam negarunt in brutis viventibus; hinc ortum eſt, quod vitam eorum Sectatores non tribuerunt animæ, ſed modificatæ materiæ, cum anima ſenſitiva animalium vitæ principium per ipſos non detur, ſed nollem, quod fecerunt in brutis, facerent in Rationalibus, & ſub hoc velamine Serpentis antiqui venenum lateret.

Itaque vita eſt actus ſecundus, qui nullibi exercetur, niſi ab ipſa anima, ubi illa fuerit actus primus & ſic vita non datur, ubi non eſt anima, quæ tamen ſi organa, & inſtrumenta proportionata non habeat, ſi eſt anima ſenſitiva Brutorum in caducitate creata, neceſſe eſt, ut pereat, ſi verò hominum eſt anima, uti immortalis, & æterna neceſſe eſt, ut diſcedat, & ſicut anima in corpore exiſtens illud vivificat juxta D. Auguſtinum, & opera vitæ communicat, ita ipſa recedente, omnes actus vitales eclypſantur, ut confiteri oporteat, vim omnis vitalis actionis promanare ab anima informante.

Verum enim verò obiiciet aliquis contra noſtras aſſertiones, Ariſtoteles lib. 6. de longitud. & brevit. vitæ apertis fidibus docet, vitam noſtram conſiſtere

in

in calido, & humido, & quamdiu vivit animal, calore opus habere, ut præcipuo ad omnes actiones inſtrumento, & humiditate tanquam caloris pabulo, & hanc ſententiam amplexus eſt Sennertus lib 1. Inſtut. cap. 4. cum magna Galeniſtarum Caterva, itaut non ſit nova Recentiorum opinio vitam, qua vivimus, ab aliis, quam ab anima traducendi principiis.

Reſpondetur dupliciter primo Interpretando verba Ariſtotelis, in quibus habetur: *quamdiu vivit animal, opus habere calore, uti præcipuo ad omnes actiones inſtrumento &c. Si quamdiu vivit*, en vita ab animali animato, *ut præcipuo ad omnes actiones inſtrumento*, en explicat ad quid inſerviat, nimirum, ut anima vivens ipſo utatur, tamquam inſtrumento ad corporis edendas actiones. Secundò Ariſtoteles Ariſtotelem explicat in citato libro definiendo vitam, *quod ſit manſio animæ in calido, & humido*: quid ergò clarius proferre poterat, pro denotando vitam eſſe ab anima, quam definire vitam animæ manſionem in calido, & humido?

Nec iterum obiiciatur cum Ariſtotele, vitam eſſe radicaliter in corde, cum ipſum ſit primum naſcens, & ultimum moriens, quia ſumus in eadem navi, & militat eadem reſponſio, in confeſſo enim eſt, quod non ſolum cor, ſed ſanguis, ſpiritus, & cætera contenta, & continentia ſunt ad vitam manutenendam neceſſaria, ipſis anima utens tamquam inſtrumentis proportionatis pro functionibus gerendis, verumtamen Philoſophorum regula eſt. *Quod actiones ſunt compoſitorum, non componentium*, ac ita non ex his provenit vita, ſed ab anima in corpore unita.

In quo ſenſu inter Recentiores Helmontius egregiam de vita tradit definitionem, dicendo: *Vita*

eſt lumen, & initium formale, quo res agit, quod agere juſſa eſt, in qua definitione lumen, & initium formale denotant eſſentialitatem vitæ in anima conſtitutam, cum ipſa dicatur internum corporis Lumen, & forma humani corporis, per alia ſequentia verba, *quo res agit, quod agere juſſa eſt*, imperium animæ informantis indigitatur, quæ ad mentem Divini Platonis eſt motus principium, cuncta gubernans, & in omnibus, quæ moventur habitans, cujus voluntatis omnium potentiarum Reginę imperio moventur brachia, pedes, manus, & omnia, undè benè dicit Helmontius, *quo res agit, quod agere juſſa eſt*.

Et porrò juxta immobile peripateticæ Philoſophiæ principium: *Omne, quod fit, fit ex illo, quod actu eſt*, ergo vitales actus fieri non poterunt, niſi ab anima, quæ eſt actus corporis organici, ipſumque per animam ſit in actu, hinc cecinit Poeta.

Inde hominum, pecudumque genus, vitæq; volantum. ſiquidem anima eſt vitale principium, ſpiraculum vitæ, & vitalium actionum genetrix, & origo, quamvis pro illis gerendis mediatè indigeat ſpiritibus concinnè diſpoſitis, partium recta ſtructura, & humorum æquabili ſymetria, veluti Faber murarius ad conſtruendam domum indiget calce, ſaxis, & cæmentis ad proportionem, ipſeque dicitur domus Author, & agens principalis, ita à pari anima erit agens principalis, & Authrix vitæ, vitaliumque operationum.

Quæ omnia humiliter ſubmiſſa correctioni Sanctæ Sedis Apoſtolicæ mihi dicenda erant pro depuranda hodierna Philoſophia tot errorum monſtris contaminata, quod ſi Reipublicæ litterariæ placuerit, promitto eumdem laborem peragere pro extirpandis tot erroribus, quibus hodie per malam me-

medendi methodum referta eſt praxis medica . Cæterum mihi parcant Authorum Recentiorum Fautores, ſi hanc exoſam pro communi bono Cenſoris curam aſſumpſi, & conſultò Senecæ Moralis monitum attendant , *quod quando perperam de ipſis loquitur, docentur quid caveant* ; Et quod : *Utilis interdum eſt ipſa injuria paſſis* .

Et hæc dicta ſint ſatis ad laudem , & honorem Individuæ TRINITATIS, & Deiparæ VIRGINIS MARIÆ cujus patrocinium enixè precor .

Momentum Vita eſt, ſed pendet ab hoc momento
Sive perenne bonum, ſive perenne malum .

F I N I S.

Digitized by Google

005661132

Digitized by Google

Digitized by Google

MC

Digitized by Google